


2.9. Martij remitto Librum Commu:nem. (1765.) unde accomodavi.

[redacted]

1815
1794
1815

Fr

[redacted]

[redacted]

[redacted]

COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS

unà cum Summula Dialecticæ,

Ad usum tum novellis Clericis, tum incipientibus Confessariis, perutile, & necessarium, in gratiam Theologico-Moralium Studiorum,

Summatim,

Ex variis Classicis, & approbatis

Montis Auctoribus Pacis ppe Caunas

COLLECTUM

Pp. Eremitarum Per Camaldulensium

Fratrem, Patrem FRANCISCUM PRZYŁĘCKI Ministrum Provincialem Provinciæ Litvanæ Ord: Min: Reg: Observ: Annô Dni 1754.



VILNÆ

Typis S. R. M. Acad: Soc: JESU.



APPROBATIO

Illuſtriſſimi Excellmi ac Rmi D. D. MICHAELIS JOANNIS ZIENKOWICZ DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopi Vilnenſis.

Opuſculum, cui Titulus: Compendium Theologiæ Moralis, operâ Admodùm Reverendi P. FRANCISCI PRZYŁĘCKI Miniſtri Provincialis Provinciæ Litvanæ Ord: Min: Regul. Obſerv: elaboratum, ut uſibus, ad quos dirigitur, ſervire valeat, Typis vulgari Authoritate Noſtra Ordinaria Facultatem dedimus. Vilnæ Annô 1754. Die 17. Menſis Auguſti.

MICHAEL Epiſcopus Viln.

mpp.



PROEMIUM.

COmpendium *Theologiæ Moralis in hoc opuſculo diviſum eſt in* 14. *Tractatus; nimirùm:* Imus, tractat de ultimo Fine, ſeu de Beatitudine ſupernaturali; *ad quem finem debemus tendere per bona opera, & cum S. Auguſtino continuò ſuſpirare:* feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. 2dus, de Actibus humanis, eorumq; Regulis, utpote principiis directivis, *quibus dirigimur ad rectitudinem bonorum operum.* 3tius, de peccatis; *utpote operibus malis, quæ ſunt impedimenta ad conſequendam æternam Beatitudinem.* 4tus, de Virtutibus Theologicis & Moralibus. 5tus, de Gratia Dei; *quæ eſt principium Supernaturale bonorum operum ſupernaturalium.* 6tus, de Indulgentiis. 7mus, de Voto. 8vus, de Cenſuris. 9nus, de Irregularitate. 10mus, de Sacramentis in genere. 11mus, de Sacramentis in particulari, *quæ ſunt remedia hominis lapſi.* 12mus, de

Sacramento ordinis, & de aliis materiis annexis *ad usum ordinandorum.* 13tius, de Sacramento Pœnitentiæ, & aliis materiis annexis, *ad usum Confessariorum.* 14tus, de Dialectica, *sine qua non potest perfectè intelligi Theologia Moralis.* Et hac præmissâ notitiâ de dispositione Theologiæ Moralis, sit:



TRA-



TRACTATUS I.

De Ultimo Fine Hominis, ſeu *De Beatitudine.*

QUis eſt ultimus finis hominis? ſeu quæ eſt Beatitudo hominis ſupernaturalis? ℟. Eſt ſolus Dominus DEUS, ut Supernaturaliter à creatura rationali attingibilis per claram DEI viſionem, & per amorem Beatificum. *Vel clariùs;* Ultimus finis hominis eſt: *Videre Deum facie ad faciem, & amare illum in perpetuum.* 1.

Quotuplex eſt Beatitudo hominis? ℟. Eſt 2plex: Beatitudo objectiva, & formalis. 2.

Beatitudo objectiva: Eſt ſolus DEUS, ut ſupernaturaliter attingibilis per claram DEI viſionem, & per amorem beatificum.

Beatitudo formalis: eſt ipſa intuitiva viſio DEI, & amor beatificus.

Beatitudo cœleſtis quid eſt? ℟. Eſt conſecutio & poſſeſſio ſummi boni, cum perfecta 3.



quiete, & plena satietate appetitûs rationalis. Dr. *cum perfecta quiete & satietate*; per quod differt à consecutione bonorum creatorum, quae bona sunt imperfecta & fallacia, uti sunt: *honores, divitiæ, voluptates temporales, &c.*

4. *Beatitudo formalis, in quibus actibus consistit?* ℞. adæquatè sumpta, consistit in duobus actibus intellectûs & voluntatis, scilicet: *in clara DEI visione, & in fruitione ejusdem, per amorem amicitiæ.*

Observanda sunt hæc: I. Beati per claram DEI visionem defactò vident Deum Unum, & Trinum; vident omnia attributa, & omnes DEI perfectiones; quia hæc omnia sunt objectum essentiale, & primarium Beatificæ visionis. Vident etiam multas Creaturas, tanquam objectum secundarium; *vg.* Vident in DEO totum hunc universum, Cœlum, solem, Lunã, stellas; vident preces nostras, quas in hac vita fundimus ad illos; vident & alia omnia, quæ spectant ad illorum felicissimum statum; uti dicit: *Concil: Senenen: in decretis fidei, decretô 3tiô: In Divinitatis speculo illucescit illis, quidquid eorum interest. Unde, Fundatores Religionum*, vident progressum suorũ ordinum; *Reges Sancti*, suorum Regnorum varietatem & vicissitudinem; *Summi Pontifices*, totius Ecclesiæ successum; *Parentes*, suorum Filiorum mores, & successum &c.

II. Amor Domini DEI, potest considerari

2plex:

aplex: *Primò: Amor amicitiæ, seu benevolentiæ*; quo amamus Deum, ut summum bonum, prout in se est bonus, & propter ipsius bonitatem. *Secundò: Amor concupiscentiæ*; quo amamus Deum, prout est nobis bonus, & propter nostram utilitatem.

III. Beatitudo essentialis consistit in amore amicitiæ. *Ratio*, quia amor concupiscentiæ, (*quô Deus amatur prout est nobis bonus*,) supponit beatitudinē completā formalē per visionē DEI, & amorem amicitiæ; hîs enim positîs, licèt non subsequeretur amor concupiscentiæ, Beatus essentialiter esset satiatus, tam quò ad intellectum, quàm quò ad voluntatem.

Beatitudo Cælestis, an est supernaturalis? ℞. Certum est, esse supernaturalem quò ad substantiam. *De supernaturalitate observanda hæc:* I. *Ens supernaturale*, communiter definitur sic: *est illud, quod est supra omnem naturam creatam, & creabilem*; id est: supra omnes vires naturæ creatæ, & creabilis; tam activas, quàm passivas; tam cognoscitivas, quàm exigitivas; estq; indebitum naturæ in omnibus circumstantiis. *Dicitur: supra omnem naturam creatam & creabilem*; non autem supra naturam Increatam; respectu enim DEI, nil est supernaturale. *Unde*, quod est supernaturale respectu creaturæ, non est supernaturale respectu DEI; quia nulla res creata, vel creabilis, potest excedere vires DEI. 5.



II. *Supernaturale est 2plex:* Supernaturale quò ad modum & ſupernaturale quò ad ſubſtantiam. *Supernaturale quò ad modum*, eſt illud: quod ſecundùm entitatē ſuā, eſt juxta exigentiam, & vires naturæ; in his tamen circumſtantiis non debetur; *vg.* Productio fructuum hyeme; reſtitutio visûs. *Supernaturale quò ad ſubſtantiam*; quod ſimpliciter eſt ſupra omnes vires naturæ, & illi in nullis circumſtantiis debetur; *vg. Viſio Beatifica; Gratia ſanctificans; Gratiæ ſupernaturales actuales; lumen gloriæ; Incarnatio DEI*; hæc & alia, ſunt ſupernaturalia quò ad ſubſtantiam; quia in nullis circumſtantiis debentur naturæ creatæ vel creabili.

6. *VisioBeatifica an eſt Spiritualis, an corporea?* R. Eſt Spiritualis, & Intellectualis, non verò corporea. *Imò, Theologi* probabiliùs docent; quòd oculus corporeus non poſſit elevari ad videndum Deum intuitivè.

7. *Beatitudo Cæleſtis an eſt perpetua?* ℟. omninò eſt perpetua, durabilis in æternum, & nunquam amiſſibilis. *Eſt de fide & Ratio eſt*; quia ſi non eſſet perpetua, non poſſet quietare animam; & haberet aliquid mali ſibi admixtū; & ſic perfectè Beatos non beatificaret.

8. *Beatitudo an eſt æqualis in omnibus Beatis?* ℟. Non eſt æqualis, ſed inæqualis pro diverſitate meritorum. *Tum quia ita definitum eſt in Conciliis Floren: Trid: & Toletano;*

tum



tum quia 1.Cor: 3. dicitur: *Unusquisq; propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Quibûs mediis homines assequuntur cælestem beatitudinem? ℟. Aliqui salvantur ex solis meritis Christi Domini, uti sunt Infantes baptizati. *Adulti verò habentes usum rationis*, similiter salvantur ex meritis Christi Domini, ita tamen, ut etiam requirantur merita propria, & bona opera supernaturalia, secundùm illud: *Math*: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ratio*; quia secundùm præsentia DEI decreta requiritur, ut homo libertate præditus, per propria bona auxiliante & cooperante gratiâ supernaturali se disponat ad cælestem gloriam, illamq; mereatur. 9.

Quæ sunt dotes in corpore glorioso? ℟. Sunt quatuor: I. *Impassibilitas*; per quam corpus fit immortale, incorruptibile, & expers omnium dolorum ac passionum; id est: impassibilitas non tantùm excludit mortem & corruptionem, sed etiam excludit omnes dolores, & passiones læsivas, seu corruptivas; II. *Claritas*, per quam corpus Beati fit clarum & refulgens, sicut sol; *Secundùm illud*, *Math*: 13. *fulgebunt justi sicut sol.* III. *Subtilitas*; per quam corpus Beati fit liberum ab omni crassitudine, & accipit virtutem penetrandi omnia alia corpora, sicut radius solis penetrat 10.

cor-



corpora perlucida. IV. *Agilitas*, per quam corpus Beati movetur facilè sine ulla fatigatione, & celerrimè pro beneplacito animæ.

11. *An aliquod objectum creatum posset beare hominem?* ℟. Nullum objectum, & nulla bona creata possunt esse finis ultimus simpliciter, & propiè beatitudo. *Ratio*; quia beatitudo debet esse perfectè satiativa appetitûs rationalis; Jam verò nullum bonum creatum potest satiare plenè & perfectè. *Est contra Philosophos Ethnicos, quorum alii finem ultimum constituebant in voluptate corporis, alii in scientia, alii in negatione miseriarum, alii in cumulo omnium bonorum creatorum &c.*

TRACTATUS II.

De Actibus humanis, & Regulis Morum.

CAPUT I.

De Actibus humanis.

12. QUid *est actus humanus?* ℟. est actus vitalis hominis, qui procedit ex deliberatione rationis, & ex libera voluntatis determinatione, *vel breviùs*: est libera hominis operatio, vel omissio. II. *An est unum dicere: actus hominis & actus humanus?* ℟.

Theo-



Theologicè loquendo non ſunt idem; *quia actus hominis*, eſt quæcunq; actio ab homine procedens, ſive ſit libera, ſive neceſſaria, ſive cum advertentia, ſive ſine advertentia; *vg.* creſcere, nutriri, &c. *Jam verò actus humanus eſt* tantùm illa actio, quæ ab homine procedit prævia cognitione & voluntariè, ſive ille actus ſit bonus, ſive malus, dicitur actus humanus.

Actus humanus quotuplex eſt? ℟. *eſt* 13.
3plex: Actus moraliter bonus; [*Actus moraliter malus,*] *& actus indifferens.*

Actus moraliter bonus; eſt actus conformis rectæ rationi, & regulis morum; *vg.* Amor DEI, actus fidei, ſpei, humilitatis, patientiæ &c.

Actus moraliter malus; eſt actus difformis rectæ rationi, & regulis morum; *vg.* Odium DEI, & alia peccata, ſive ſint mortalia, ſive venialia.

Actus indifferens; eſt actus ille, qui neq; eſt conformis, neq; difformis rectæ rationi, & regulis morum; *vg. ambulatio, & recreatio, ſecundùm ſe conſiderata*, neq; eſt bona, neq; mala, tamen poteſt eſſe bona, ſi fiat cum intentione bona, & in finem bonum; *vg. Ad M. D. G.* & è contra poteſt eſſe mala, ſi fiat cum intentione mala, & in finem malum.

Actus humanus quotuplex adhuc poteſt 14.
conſiderari? ℟. poteſt conſiderari *2plex: A-*

ctus



ctus necessarius, & actus liber.

Actus necessarius; qui necessariò procedit ab aliqua potentia; hoc est: qui positîs omnibûs requisitîs non potest non poni. *vg.* Intellectio ab intellectu, & primi motus à voluntate necessariò procedunt.

Actus liber, qui liberè procedit à voluntate. *Et talis actus liber est*, 2plex: I. *Actus elicitus*, est ille actus, quem ipsa voluntas elicit; *vg.* Volitio, nolitio. II. *Actus Imperatus à voluntate*; est ille actus, qui procedit ab alia potentia necessaria, ex imperio voluntatis; *vg.* Locutio, visio, ambulatio, &c.

15. *Ut sit actus moraliter bonus vel malus, an requiritur libertas?* ℟. necessariò requiritur libertas contingentiæ; & hæc libertas est radix omnis meriti & demeriti. *Ratio:* quia per hanc libertatem contingentiæ, voluntas habet plenam potestatem suarum actionum.

16. *Quid est libertas contingentiæ?* ℟. Est illa, quæ positîs omnibûs requisitîs ad agendum, potest agere, vel non agere.

17. *Libertas contingentiæ quotuplex est?* ℟. Est 2plex: *Libertas contrarietatis, & libertas contradictionis.*

Libertas contrarietatis; est illa, quæ positîs omnibûs requisitîs, potest agere, aut oppositum agere. *Et hæc libertas habet indifferentiam ad actus specie diversos, vg. ad amorem & odium.*

Liber-



Libertas contradictionis; est illa, quæ positis omnibûs requisitîs potest ponere actum, vel omittere illum; *vg. Voluntas potest elicere actum amoris DEI, vel omittere illum.*

18. *Libertas ad quam potentiam spectat?* ℞. spectat ad voluntatem, quia sola Voluntas est potentia libera; Jam verò Intellectus, & omnes aliæ potentiæ sunt necessariæ; subsunt tamen Imperio voluntatis, & illarum actus, tunc sunt liberi, ~~quomodo~~ quando imperantur à voluntate, [redacted] tales *dicuntur: actus liberi Imperati*, ut dictum superiùs n. 14.

19. *Actus boni & mali unde desumunt suam moralem bonitatem & malitiam?* ℞. desumunt ex 3*plici* capite: Ex objecto, ex fine, & ex circumstantiis. *Adverte, ut sit actus bonus & honestus*, debet necessariò desumere suam bonitatem ex 3plici capite: *Ex objecto, fine & circumstantiis, prout conveniunt naturæ rationali, & legi Divinæ*; nimirū, debet esse de objecto bono vel saltem de objecto indifferente, sed conducibili ad bonum finē; debet fieri modô conveniente; debet esse in circumstantiis objecto debitis; & debet esse propter finem honestum. *Secùs dicendum de actu malo*; ut sit actus malus; malitia ejus potest desumi non tantùm ex 3plici, aut 2plici capite; sed etiam ex uno capite; *vg*. si fiat aut propter finem malum, aut objectum inhonestum aut circumstantias inhonestas, & discon-

ve-

venientes naturæ rationali, & legi Divinæ. *Ratio horum est:* ex illo axiomate Theologico: *Bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu.*

20. *Actus externus an addit bonitatem, vel malitiam actui interno?* ℟. Actus externus habet distinctam malitiam, & bonitatẽ, derivatã ab actu interno; ita, ut cum actu interno faciat majorẽ bonitatẽ, vel malitiam extensivè. *Ratio; tũ quia,* ita *SS.PP.ut S.Aug:l.13.de Trinit: c.5. mala voluntate quisq; miser efficitur, sed miserior potestate, quã desiderium malæ voluntatis impletur. Tum quia* Actus malos tenemur confiteri; bonos autem exercere.

21. *Quid intelligitur per actũ internũ & externũ?* ℟. *Actus intern9* est ipsa volitio; *vg.* quando quis vult, & intendit aliquem occidere; *Actus verò externus:* est ipsa actualis occisio aliquô ferrô, *vg.* homicidium.

22. *Liberum & voluntarium an sunt idem?* ℟. Voluntarium latiùs patet, quàm liberum. *Interim*, Voluntarium Liberum, idem est, quod actus liber. *Involuntarium*, propriè est illud, quod procedit à creatura rationali, contra innatam inclinationem voluntatis; *vg.* Motus localis, tunc est involuntarius, quando quis alienô impulsu movetur.

23. *Voluntarium Liberum quotuplex est?* ℟. multiplex = ~~mplex~~ scilicet:

Voluntarium voluntate propriã: quod

pro



procedit à propria voluntate.

Voluntarium voluntate aliena: quod Physicè procedit per alienam voluntatem, moraliter tamen nobis imputatur; *vg*. Voluntas & dispositio, licèt procedat Physicè à Tutore, moraliter tamen procedit etiam à Pupillis.

Voluntarium in se: est actio aliqua per se intenta à causa libera; *vg*. homicidium per se volitum ab aliquo homine.

Voluntarium in causa: quando quis talem actionem facit, quæ est causa alterius actionis bonæ, vel malæ; *vg*. si quis expertus est in ebrietate à se perpetrari peccatum aliquod, quamvis non intendat tale peccatum; si tamen liberè se inebriat, tale peccatum illi est liberum, & voluntarium in causa.

Voluntarium actuale, & expressum: est actus voluntatis liber, quo quis formaliter intendit aliquid facere, vel omittere; *vg. audire Missam.*

Voluntarium interpretativum: quod formaliter hìc & nunc non pendet à voluntate alicujus; tamen fit dependenter ab aliqua interpretatione, & præsumptione de illius voluntate, ex quibusdã rationabilibus signis & circumstantiis; *vg*. Si Religiosus aliquid faceret præsente, & non contradicente superiore.

Voluntarium directum: quod directè intenditur.

Vo-

Voluntarium indirectum: quod indirectè intenditur; *vg.*Scandalum, vel peccatum factū in ebrietate; *uti dictum: de voluntario in causa.*

24. *Actus bonus, ut sit meritorius cælestis gloriæ, an requiritur, ut sit supernaturalis?* ℟. necessariò debet esse supernaturalis; *Est de fide. Ratio:* quia cælestis Beatitudo cum sit supernaturalis, necessariò requiritur, ut actio meritoria illius sit supernaturalis. *Unde*, actus naturales, quamvis sint boni & honesti, non possunt esse meritorii æternæ gloriæ. *Supernaturalitas autem actûs meritorii condigni, provenit formaliter à gratia habituali sanctificante*, quæ est forma dignificativa meritorum, seu bonorum operum supernaturalium; *Effectivè autem provenit*, tum ab objecto supernaturali, tum à virtutibus supernaturalibus, tum à gratiis actualibus supernaturalibus. *Plura, ubi de merito n. 279.*

CAPUT II.

De Regulis morum.

25. MOralitas, hoc est: *Bonitas & malitia moralis actuum humanorum*, cum dignoscatur & mensuretur per regulas morū; *actus enim, si sit conformis regulis morū;* di-



dicitur bonus; si sit difformis, dicitur malus;) proinde necessaria est notitia de Regulis morum, quæ aliter dicuntur, principia directiva, quibûs dirigimur ad rectitudinem actuum bonorum.

Regula morum quotuplex est? ℞.est 2plex: 1ma *conscientia*, quæ dicitur regula proxima & interna; ex eo autem dicitur: *Proxima Regula*; quia per conscientiam applicatur lex, quæ est Regula remota & objectiva. *Ex eo tandem conscientia dicitur, regula interna*; quia conscientia est intra (nos) in intellectu. 2da *Regula morum est, lex*; quæ dicitur Regula externa, & remota actuum humanorum. *Ratio, quòd lex sit Regula morum*; quia Lex defactò præcipit facienda, & prohibet vitanda. *De utraq. hac Regula breviter agemus.* 26.

De Conscientia.

Conscientia, seu dictamen rationis, quid sit? ℞.est judicium practicum particulare, quod dictat hìc & nunc tale malum esse fugiendum, & tale bonum esse amplectendum. *Dicitur Judicium practicum*; hoc est: judicium Intellectûs practici; quia conscientia versatur circa humanas actiones, non tantùm ut illas cognoscat, sed etiam ut illas regulet & dirigat. 27.

Quid est Synderesis? ℞. est habitus primorum principiorum moralium, & practico- 28.



rum, dictans in genere, quod bonum est faciendum, & quod malum est fugiendum. *vg. DEUS est colendus; Bonum est faciendum; malum fugiendum, quod tibi non vis, alteri nè feceris, &c.*

29. *Conscientia, quò differt à synderesi?* ℟. per hoc differt; quia synderesis proponit principia communia, generica, & universalissima; jam verò conscientia proponit aliquid faciendum, vel fugiendum hìc & nunc in particulari. *vg*; Missa audienda est hodie; quia est festum; &c.

30. *Quotuplex est Conscientia?* ℟. est ~~5plex~~: mplex
Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, & scrupulosa.

Conscientia recta, & certa; quæ certò & rectè judicat aliquid esse faciendum.

Conscientia Erronea; quæ falsò judicat aliquid esse faciendum, vel non faciendum.

Conscientia Dubia; quæ nil judicat, sed manet suspensa.

Conscientia Probabilis; quæ cum formidine oppositi, judicat aliquid ex rationibus non levis momenti, vel ex Authoritate Doctorum.

Conscientia Scrupulosa; quæ aliquid judicat ex frivolis, & levibus rationibus; hinc oritur timor, & anxietas, suspicando esse peccatum, ubi non est peccatum. *Plura infra ubi de scrupulis n.* 733.

De



De Lege.

Quid est lex? ℟. est ordinatio stabilis propter bonum commune obligans ad aliquid faciendum, vel non faciendum. 31.

Lex quò differt à Præcepto? ℟. *imo differt*; quia lex debet esse stabilis & perpetua? Præceptum verò non est ita stabile; ordinariè enim desinit mortuô, vel amotô superiore. *2dò differt*; quia lex necessariò debet ferri à persona publica, pro communitate, & propter bonum communitatis; jam verò præceptum potest ferri, à privata persona, ad privatam personam; *vg.* à Domino ad servum. *Item*, fertur in bonum privatum superioris, vel subditi, vel alterius. 32.

Lex quotuplex est? ℟. est 2plex: *Lex Divina, & lex humana.* 33.

Lex Divina; quæ à DEO sancita est.

Lex humana; quæ ab homine sancita est.

Lex Divina quotuplex est? ℟. est 3*plex*: *Lex DEI æterna, lex DEI naturalis, & lex DEI Positiva.* 34.

Lex DEI æterna; est Ordinatio DEI ab æterno, per quam DEUS determinavit, quæ sunt agenda à creatura rationali, & quæ sunt cavenda, ut suum finem ultimum assequatur.

Lex DEI naturalis; quæ nobis à natura est quasi congenita, per lumen rationis. Et hæc lex est eadem cum lege æterna; hoc

eſt: prout in mente Divina eſt, *dicitur æterna*; prout inſerta eſt nobis per lumen naturale; *dicitur lex naturalis. Ita noſter Felix Poteſtas, & alii.*

Lex DEI Poſitiva; eſt decretum DEI præſcribens hominibus neceſſarium modum, ut aptè poſſint pervenire ad ſupernaturalem Beatitudinem.

35. *Lex DEI Poſitiva quotuplex eſt?* ℟. eſt 2plex: *Lex vetus ſeu Moyſaica*; & *lex nova ſeu Evangelica.*

Lex vetus ſeu Moyſaica; eſt illa, quā DEUS dedit Moyſi per Angelum, & per Moyſen Iſraëlitis.

Lex nova, ſeu Evangelica; quæ à Chriſto Domino lata eſt omnibus hominibus, & per Apoſtolos promulgata.

36. Lex „poſitiva" humana quotuplex eſt? ℟. eſt 3*plex*: *Lex Eccleſiaſtica, ſeu Canonica*; *lex civilis*; & *lex Gentium.*

Lex Eccleſiaſtica, ſeu Canonica; quæ fertur & ſtatuitur à poteſtate Spirituali, ſeu Eccleſiaſtica ad conſequendum finem ſupernaturalem beatitudinis; *vg.* à Papa, Conciliis, Epiſcopis &c.

Lex civilis; quæ fertur, & ſtatuitur à ſæculari poteſtate, ad conſequendum finem naturalem, ſcilicet ad tranquillitatem Reipublicæ; *vg. à Rege, Principe, Republica &c.*

Lex Gentium, ſeu potiùs jus Gentium;

quod

quod non oritur ab aliquo Principe vel Regno, sed aliquomodo ortum est ex moribus & consvetudine usitata inter omnes, vel feré omnes gentes; *vg. dum legati recipiuntur cum assecuratione immunitatis; libertas commerciorum inter gentes non inimicas &c.*

Lex humana an obligat sub peccato? ℟. obligat aliquando sub peccato mortali, aliquando sub veniali. *Ratio est;* quia omnes leges derivantur à lege DEI; jam verò Divina lex præcipit obtemperare justis præceptis superiorum; secundùm illud, *ad Rom:* 13. *qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit.* 37.

Unde hoc dignoscitur, quòd lex humana aliquando obliget sub peccato mortali. ℟. Obligat sub peccato mortali tunc, quando hæc verba ponuntur: *In virtute S. obedientiæ, sub obtestatione Divini judicii; sub indignatione Apostolorum &c. sub pœna maledictionis DEI, sub stricto DEI judicio. Item* dum dicitur: *præcipimus, mandamus, prohibemus, interdicimus &c. Vel his æquivalentia;* & tunc exprimitur in materia gravi; quæ gravis est, vel in se, vel ratione finis, vel in suo effectu; quatenus nocet bono communitatis, aut paci conservandæ. 38.

Lex humana quando obligat? ℟. tunc obligat, quando sufficienter est promulgata, cognita, & acceptata à subditis saltem à majori eorum parte. 39.

40. *Lex pænalis an obligat sub peccato?* ℟. Lex purè pænalis non obligat sub peccato, nisi aliud legislator exprimat; dummodò non accedat contemptus Legislatoris, scandalum aliorum, & perturbatio in republica; *Lex autem mixta pænalis* obligat sub peccato mortali, vel veniali, pro diversitate materiæ, levis, aut gravis.

41. *Quid est lex purè pænalis, & non purè pænalis?* ℟. *Lex purè pænalis*; tunc est, quando Legislator non intendit obligare sub peccato, sed tantùm ad pœnam. Et hæc lex ordinariè fit circa illos actus, qui non contrariantur legi Divinæ, neq; Legislator verbîs præceptivîs utitur, sed tantùm statuit pœnam: *si hoc, vel illud fiat*; & talis lex solet in pluribus statutis Religiosorum, quæ non obligant ad peccatum grave, sed tantùm ad pœnam, propter meliorem conservationem religiosæ disciplinæ; *vg. ne Religiosi certo tempore loquantur &c. Lex non purè pœnalis, seu mixta*; quæ aliquid præcipit, vel prohibet sub peccato, adjectâ pœnâ transgressoribus. *In hac lege 2plex est obligatio ad culpam, & ad pœnam.*

42. *Pueri, an tenentur ad observandas leges?* ℟. Pueri ante usum rationis (*qui communiter est ante septennium,*) nullìs legibûs ligantur; post usum verò rationis, obligantur præceptîs naturalibûs, Divinîs, & Ec-

clesia-

clesiasticis.) *Hic adverte*; Pueri receptô usu rationis tenentur confiteri semel in anno, abstinere à carnibus, ovis, lacticiniis, diebûs prohibitis; Missam diebûs festivis audire, & illis abstinere à servilibus operibus, &c. *De jejunio autem quò ad quantitatem, alia est ratio; quia lex determinavit certum annum, scilicet annum* 21*mum. Plura Matthæuc, Felix Potestas, &c.*

Ex quibus rationibus potest quis eximi, ab obligatione legis humanæ? ℟. ex his rationibus: I. potest esse exemptio *per privilegium*; Si quis ex intentione legislatoris non fuerit inclusus in lege. II. *per dispensationem*; Si fieret dispensatio ab habente potestatem. III. *per Epikeiam, & interpretationem legis*; quæ in aliquo casu particulari, judicatur non obligare, quia Legislator non potuit omnes casus comprehendere & præsagire, neq; voluit in omnibus obligare. IV. *Si fiat contraria consvetudo*; quam Legislatores quamvis videbant, non tamen efficaciter contradicebant. V. *Si fiat legis abrogatio ab illo*; qui habet potestatem. *Plura apud Authores de legibus.* 43.

❧)(*)(❧

TRACTATUS III.

De peccato.

44. *Peccatum quid est?* ℞. Est libera transgressio legis Divinæ. *Seu: est actus difformis regulis morum.* Secundùm *S. Augustinum: est dictũ, factum, vel concupitum contra legem æternam DEI.*

45. *Peccatum quotuplex est?* ℞. est 2plex: *Originale & personale.*

2Da. A. ℞: *Originale*; quod à primo Parente commissum est; & per generationis viam transiit ad omnes nos posteros. *Nota: Per peccatum originale, facta est privatio justitiæ, & innocentiæ originalis; & ideò nascimur Filii iræ.*

2Da. A: *Personale* est illud; quod quilibet homo propriâ voluntate committit.

46. *Peccatum personale quotuplex est?* ℞. est 2plex: *Mortale & veniale.*

2Da. A. *Peccatum mortale*; est gravis offensa DEI. 3a. *Peccatum veniale?* est levis offensa DEI. *Plura de his peccatis vid. n. 52. & sequ.*

47. *Peccatum adhuc est. 2plex:* Commissionis, & omissionis.

Peccatum commissionis, est illud; per quod transgredimur præceptum negativum; *vg.* non furtum facies; non occides. &c.

Peccatum omissionis, est illud; per quod trans-



transgredimur aliquod præceptum affirmativum, *vg.* honorare Parentes &c. *De præcepto negativo & affirmativo vid n.* 503.

Peccatum adhuc est 2plex; Actuale & 48.
Habituale.

2: *Peccatum actuale;* est actus malus de præsenti existens.

3. *Peccatum Habituale;* est Peccatum Physicè præteritum, moraliter tamen manens, quatenus non est retractatum, neq; remissum à Domino DEO.

Quotupliciter potest quis peccare? ℟. 49.
4pliciter: Cogitatione, verbô, opere & omissione. *Item 3pliciter:* Contra DEUM, contra proximum, & contra se ipsum.

Quot sunt effectus peccati? ℟. præcipui 50.
effectus sunt duo; scilicet: *Reatus culpæ, & Reatus pænæ.*

Reatus culpæ; Vocatur communiter macula, quæ post peccatum actuale manet moraliter, donec à Domino DEO condonetur.

Reatus pœnæ, est *2plex:* Reatus pœnæ æternæ, & reatus pœnæ temporalis.

Sublatâ maculâ peccati, an hoc ipso tolli- 51.
tur reatus pœnæ? ℟. Secundùm præsentia DEI Decreta, quandocunq; tollitur Reatus culpæ, toties tollitur Reatus pœnæ æternæ; tamen manet reatus pœnæ temporalis.

❧§)(✝)(§❧

De peccato mortali & veniali.

52. *Quot sunt Requisita, ut quis sciat se commisisse peccatum mortale?* ℟. tria: I. Requiritur plena advertentia & deliberatio intellectûs. II. Requiritur perfectus consensus voluntatis. III. Requiritur gravitas materiæ, ita ut aliquid sit grave saltem ex fine. *Unde*; Si aliqua conditio ex prædictis desit; transgressio legis non erit peccatum mortale, neq; contemptus DEI.

53. *Unum peccatum mortale, an potest remitti sine altero in eodem subjecto?* ℟. Defactò secundùm præsentia decreta DEI, non remittitur unum mortale peccatum, sine altero; quia defactò deletio peccati mortalis, fit per infusionem gratiæ sanctificantis; quæ cum nullo peccato mortali est compossibilis.

54. *Unde peccatum dignoscitur esse mortale?* ℟. *imo* In rigore loquendo; solus Dominus DEUS principaliter dignoscit, quæ sunt peccata venialia, & quæ sunt mortalia; *ita S. Aug. Enchyrid: c.* 78. *Quæ sunt levia, quæ gravia peccata, non humanô, sed Divinô sunt pensanda judiciô.* ℟. 2dô; Suppositâ perfectione actûs, peccatum mortale potest colligi. I. *Ex S. Scriptura*; si hæc dicit *aliquod peccatum esse, abominabile, morte dignum*;

gnum; excludens à regno DEI &c. & ob quæ peccata dicitur: *Væ.* II. *Colligitur ex definitione, & sensu Ecclesiæ;* quæ est infallibilis regula, in doctrina fidei, & morum. III. Colligitur ex unanimi Doctorum consensu. IV. Peccata mortalia ex genere suo, etiam sunt illa, quæ graviter opponuntur virtutibus Theologicis; quæ sunt contra religionem contra justitiam, & contra alias virtutes morales graviter obligantes. V. n. 38.

Unde dignoscitur peccatum veniale? ℟. dignoscitur. I. Ex imperfectione actûs. II. Ex natura & genere peccati. III. Ex levitate materiæ; *v.g. mendacium officiosum, & verbum otiosum; sunt peccata venialia per se & ex genere suo.* 55.

Peccatum mortale ex genere suo quotuplex est? ℟. *2plex:* Peccatum mortale ex toto genere suo, & non ex toto genere. 56.

Peccatum mortale ex toto genere suo, est illud; cujus omne objectum, seu omnis materia, est per se gravis, continens gravem inordinationem; quatenus per quamlibet materiæ quantitatem, graviter læditur virtus; quæ est finis præcepti, graviter obligantis; *v.g. Odium, contemptus DEI, hæresis, desperatio, blasphemia, perjurium &c.*

Peccatum mortale ex genere suo non toto est illud; cujus objectum, seu materia, datur gravis, vel levis, *v.g.* furtum &c.

57. Pec-



57. *Peccatum mortale ex genere suo, seu ex objecto, an potest fieri veniale?* ℟. aliquando potest fieri, præsertim ex 2plici capite. *Inprimis*, ob parvitatem materiæ, ut constat de peccatis contra justitiam *vg.* furtum leve. *Deinde*, ob imperfectionem actûs, intellectûs, aut voluntatis; scilicet quando deest sufficiens advertentia, aut consensus.

Nota I. Dum dicitur: *quòd mortale peccatum possit fieri veniale, vel è contra;* non debet intelligi ita; quòd peccatum commissum possit mutari; ut id, quod jam commissum mortale, possit fieri veniale; vel è contra; *sed debet intelligi;* quòd peccatum futurum mortale, ob adjunctas aliquas circumstantias, fiat veniale, vel è contra.

Nota II. *Advertentia perfecta, illa est;* quæ procedit ab homine sui compote, & habente expeditum usum rationis; *similiter, consensus perfectus est,* tunc; quando voluntas aliquid facit cum plena deliberatione; quando peccans advertit ad malitiam actûs, vel omissionis, vel saltem potuit, & debuit advertere. *Advertentia verò imperfecta, semiplena, & insufficiens,* est illa; quæ procedit ab homine non compote sui perfectè, neq; habente expeditum usum rationis, *uti fit in semidormiente &c.*

58. *Primus motus in homine, an est peccaminosus?* ℟. In homine motus potest considerari

3plex:

3plex: I. *Motus primô-primus*; qui subitò insurgit ante omnem advertentiam mentis, neq; ullatenûs pendet à voluntate; *& talis motus non est peccaminosus secundùm se.* II. *Motus secundo-primus*; qui est cum aliqua, sed imperfecta advertentia; qualis est in semidormiente; *& hic motus sufficit ad peccatum veniale, non tamen ad mortale.* III. *Motus plenè & perfectè deliberatus*; qui est in vigilante, & plenè sui compote. *Et talis motus potest esse peccatum mortale, si sit graviter inordinatus, & perfectè voluntarius.*

Peccatum veniale ex genere suo, seu ex objecto, an potest fieri mortale? ℟. Peccatum veniale (*idem dic de actibus indifferentibus*) non potest fieri mortale per se; potest tamen per accidens, seu per aliquid sibi adjunctum; ut constat ex sequentibus: 59.

I. *Peccatum veniale potest fieri mortale, ratione conscientiæ erroneæ*; quando quis judicat aliquid esse mortale (*vg. mendacium jocosum*) quod revera tale non est. *Ratio*; quia tunc consentit in peccatum mortale apprehensum.

II. *Peccatum veniale potest fieri mortale, ratione intentionis, & affectûs graviter inordinati, in rem aliquam leviter malam*; constituendo in ea finem ultimum; *vg.* si quis esset paratus omittere missam die se-

festi, propter otiosam confabulationem.

III. *Veniale potest fieri mortale, ratione finis moraliter mali, ad quem ordinatur; vg. adulatio, vel verbum otiosum*; inducendo aliquam personam ad mortale peccatū. *Ratio*; quia talis actus continet affectum ad rem malam, & medium contrahit malitiam finis.

IV. *Veniale potest fieri mortale, ratione periculi incidendi in peccatum mortale; vg.* quando quis habet per experientiam, quòd ex actione leviter mala soleat incurrere in peccatum mortale; *vg.* ex colloquio, vel aspectu mulieris &c.

V. *Veniale potest fieri mortale, ratione gravis damni, vel scandali*; quando ex re levi prævidetur, vel debet prævideri grave scandalum, aut damnum; *vg. ex furto levi*; si quis prævideatur blasphematurus. *Ratio*; quia talis actus adversatur charitati, & causa participat malitiam sui effectûs.

VI. *Veniale potest fieri mortale ratione contemptûs formalis præcepti, vel regulæ, vel superioris, quà superior est. Ratio*; quia talis inobedientia inducit contemptum potestatis à DEO derivatæ; consequenter talis contemptus redundat in Deum; secundùm illud: *qui vos spernit &c. Item; Omissio Evangelici consilii ex contemptu*; quasi Deus inutilia, & vana consuleret, est peccatum mortale.

tale. *Ratio*; quia graviter est injuriosa DEO, & ipse DEUS contemnitur author consilii.

60. *Aliena peccata, quot modis possunt imputari alteri?* ℟. sequentibus modis: *Consilio, jussione, consensu, cooperatione, auxilio, favore, laudatione seu adulatione, pravâ doctrinâ, exemplô, & silentiô. Ratio*; quia homo his modis cooperãdo peccato alieno, efficitur causa moralis peccati alieni; & illi verè consentit, vel expressè, vel virtualiter, vel interpretativè. *V. n.* 246. *Item n.* 108.

61. *Peccatum mortale, quò differt à veniali?* ℟. quia Peccatum mortale Deum offendit graviter; privat hominem gratia sanctificante; eripit æternam felicitatem; adfert æternam pœnam; extingvit charitatem; facit peccatorem dignum odiô DEI &c. *Jam verò peccatum veniale*, neq; privat gratia sanctificante; neq; amicitiâ DEI; neq; ex se meretur pœnam æternam; sed tantùm temporalem; neq; excludit à gloria cœlesti; sed tantùm retardat assecutionem ejus; neq; extingvit charitatem, sed tantùm minuit fervorem charitatis, impedit augmentum virtutum, & Divinarum gratiarum.

De mortalibus peccatis capitalibus.

62. *Peccata capitalia quot sunt?* ℟. septem: *Super-*

Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, & acedia.

63. *Peccata hæc, quare dicuntur capitalia?* ℟. quia hæc peccata non tantùm ſunt per ſe peccata; ſed etiam ſunt radices, & cauſæ impulſivæ, ex quibus tanquam capitibus, & fontibus multa alia peccata proficiſcuntur.

64. *Superbia quid eſt?* ℟. eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. *Per appetitum intelligitur etiam:* amor, Deſiderium, & complacentia.

Superbiæ filiæ ſunt hæ: Vana gloria, jactantia, ambitio; hypocriſis, arrogantia, tumor, præſumptio, deſpectus aliorum, pertinacia, diſcordia, inobedientia, ingratitudo.

65. *Avaritia quid eſt?* ℟. eſt inordinatus appetitus bonorum temporalium, uti ſunt: *pecunia, agri, Domus, pecora &c.*

Avaritiæ filiæ ſunt: Immiſericordia erga inopes, inquietudo, neglectus Divinorum, fiducia in rebus temporalibus, uſura, fraudulentia, mendacium, perjurium, fraudulenta decimatio, furtum, rapina, ſacrilegium, ſimonia, oppreſſio proximi.

66. *Luxuria quid eſt?* ℟. eſt inordinatus appetitus, vel uſus venereæ voluptatis.

Luxuriæ filiæ ſunt ſequentes: cæcitas mentis; quando quis ita addictus eſt luxuriæ, ut non cogitet de rebus cæleſtibus. *Præcipitatio ;* quando quis propter luxuriam, operatur

ſine



fine confilio. *Inconfideratio*; quatenus luxuriofus illa inconfiderate agit, quæ flatum & perfonam dedecent. *Inconftantia*; quatenus luxuriofus ex eodem affectu voluptatis, mox deficit à piis propofitis. *Amor fui inordinatus*; quia luxuriofus in voluptate ponit ultimum fuum finem. *Odium DEI, affectus præfentis fæculi; horror futuri fæculi; defperatio, &c. Luxuriæ fpecies imperfectæ funt hæ:* Afpectus impudici; turpiloquia, cantus lubrici, ofcula, contactus &c. *De fpeciebus perfectis, vide Cafiftas, & hic infra n.* 505. *in* 6*to præc.*

Invidia quid eft? ℞. eft triftitia de bono alieno,tanquam diminutivo gloriæ propriæ. 67.

Invidiæ filiæ funt hæ: Odium, fufurratio, detractio, judicium temerarium, prava interpretatio; contentio, contemptus,confpiratio, calumnia, convitium, improperium, exultatio in adverfis proximi, triftitia in ejus profperis.

Gula quid eft? ℞. eft inordinatus appetitus, vel ufus, cibi & potûs. *Gula opponitur* Abftinentiæ & fobrietati. *Gulæ filiæ funt hæ:* Inepta lætitia; multiloquium, fcurrilitas, immunditia,hebetudo mentis orta ex crapula,&c. 68.

Ira quid eft? ℞. eft inordinatus appetitus vindictæ, vel punitionis. 69.

Iræ filiæ funt hæ: Odium, indignatio, tumor, difcordia, furor, crudelitas, clamores, contumelia, calumnia, maledictio, voces bla-



sphemæ, rixa, homicidium &c.

70. *Acedia quid est?* ℞. est quidam langvor & torpor animi, ad facienda & prosequonda bona, propter adjunctam difficultatem; *v.g. quando quis habet tædium, & tristitiam orare, meditari, & alia bona exercere; ita, ut habeat tædium, & tristitiam de Divina amicitia, ut mala, propter adjunctam difficultatem ejusdem amicitiæ.*

Acediæ filiæ sunt hæ: Dilatio pœnitentiæ, odium DEI, desperatio, contemptus, & abominatio rerum spiritualium, tepiditas, somnolentia, otiositas, indevotio, incuria, ignavia, tœdium vitæ, diffidentia, evagatio mentis circa illicita; *torpor circa Divina præcepta*, negligendo & contemnendo illa, quæ sunt necessaria ad salutem; *Pusillanimitas*, tunc fit, quando quis deficit, vel recusat agere aliquod bonum opus, vel timidè incipit, vel ab incepto desistit.

71. *Quæ virtutes capitalibus peccatis opponuntur?* ℞. opponuntur hæ: *Humilitas, liberalitas, castitas, benignitas, temperantia, patientia, devotio seu sedula pietas.*

De peccatis in Spiritum Sanctum.

72. *Quid est peccatum in Spiritum Sanctum?*

ctum? ℟. eſt illud, quod ſpecialiter opponitur bonitati Divinæ per contemptum Spiritûs Sancti.

Quot ſunt peccata in Spiritum S. ℟. ſex: I. *Præſumptio* de miſericordia DEI, vel de impunitate peccati. II. *Deſperatio* (*n.* 174.) III. *Impugnatio* agnitæ veritatis. IV. *Invidentia* fraternæ charitatis V. *Obſtinatio.* VI. *Impœnitentia finalis*, & eſt quædam firmitas peccati, quæ ſignificat propoſitum non pœnitendi. 73.

Hæc peccata, quare dicuntur contra Spiritum S. ℟. ideo, quia ſpecialiter opponuntur Spiritui S. cui appropriatur bonitas, ex qua fluunt dona Spiritûs S. retrahentia nos à peccatis, qui ergo abutitur, & contemnit hæc dona, ſpecialiter facit injuriam Spiritui S. 74.

Hæc peccata quare dicuntur irremiſſibilia? ℟. non ideò, ac ſi nullatenus poſſint remitti, ſed quia difficilè, & raró dimittuntur, ob duritiam & malitiam peccatoris, nolentis agere pœnitentiam. 75.

Hæc peccata an ſunt mortalia? ℟. ſunt peccata mortalia, & graviſſima, ſed rara. 76.

De peccatis in Cœlum clamantibus.

Peccata in Cœlum clamantia, quot ſunt? ℟. ſunt quatuor: I. Homicidium voluntarium, 77.

hoc eſt directè intentum. II. peccatum carnale contra naturam. *vg.* Mollicies, Sodomia, beſtialitas &c. III. oppreſſio pauperum, orphanorum, & viduarum. IV. Defraudata merces operariorum.

78. *Peccata hæc quare dicuntur in Cœlum clamantia?* ℞. ideò dicuntur clamare ad DEUM, & excitare ad vindictam, quia in ſe continent adeò manifeſtam enormitatem, injuſtitiam, & gravitatem, ut nullô modô poſſit tergiverſari, & abſcondi. *Deinde*; quia, ita exprimit S. Scriptura, ut patet de homicidio Caim, *Gen*: 4. *Vox ſangvinis Fratris tui clamat ad me de terra.* De Sodomia, *Gen*: 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorū multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum eſt nimis &c.* Et ſic de cæteris.

De uſura.

79. *Quid eſt uſura ſtrictè ſumpta?* ℞. Eſt voluntas recipiendi aliquod lucrum ultra ſortem, principaliter proveniens ex mutuo; *vg.* Si quis mutuat pecuniam cum pacto, ut mutuatarius tempore meſſis mutuanti vendat triticum pretiô tunc currenti, quia mutuatarius gravatur; forte non eſſet tunc venditurus, & quia illô tempore ordinariè vili pretiô venduntur ſegetes; & ſic ſupra ſortem acciperet, vi mutui. *Dicitur uſura ſtrictè ſumpta*; quia uſura latiùs ſumpta, eſt quodcunq; lucrum etiam licitum,

hôc



hôc tamen locô agimus de usura illicita; scilicèt quãdo lucrũ præcisè intenditur *ratione mutui ultra sortem, id est: ultra Capitalem summam*; non verò aliô justô titulô, *vg.* ratione damni emergentis, vel lucri cessantis; *ut dicetur n.* 88.

Quæ sunt requisita ad veram usuram? ℞. hæc requiruntur: I. Ut sit mutuum. II. Ut sit lucrum pecuniâ æstimabile. III. Ut tale lucrum per se & principaliter, proveniat ex mutuo, non verò secundariò, vel per accidens. 80.

Commodatum an est usura? ℞. commodatum non est usura, sed est actus bonus charitatis, quia est concessio gratuitè facta. 81.

Quotuplex est usura? ℞. est 3plex: mentalis, realis, & palliata. 82.

Usura mentalis; quâ quis, sine ullo pacto externo, mutuat cum animo determinato recipiendi lucrum ex mutuo. *Unde* si quantitas (quam vult accipere) sit notabilis, est peccatum mortale; actus enim internus, est ejusdem malitiæ cum externo. *Si autem non sit determinatio volũtatis*, sed pura spes recipiendi aliquid ex gratitudine, & liberalitate alterius, non erit usura.

Usura realis, quâ quis ex pacto expresso, vel implicito, dat mutuum, ita, ut expressè, vel implicitè declaret se velle, aut expectare aliquid supra sortem. *vg.* Si mutuans dicat mutuatario: *scis modum, quo ego soleo dare pe-*

cuniam meam mutuò, vel mutuo tibi pecuniã, cum onere aliquid dãdi supra sortem.

Usura palliata; quâ quis aliquid exigit supra sortem sub alio contractu; *puta donationis, venditionis, vel alterius ficti & colorati contractûs*; revera tamen, nullus talis est contractus, sed titulus solius mutui.

Nota: Natura mutui hæc est; ut nil mutuans accipiat ex mutuo, sed gratìs det mutuum; proinde, dum ultra sortem accipitur aliquid per se ratione mutui, dicitur usura; secùs si ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

83. *Usura, quando est peccatum mortale?* ℟. tunc, quando fit in notabili quantitate tali, quæ in furto sufficit ad peccatum mortale.

84. *Usura quo jure est probibita?* ℟. omni jure est prohibita & illicita; scilicèt prohibita est jure naturali, Divinô, & Jure Canonicô. Unde; si quis pertinaciter assereret usuram esse licitam; censeretur esse hæreticus. *Ita communiter* DD.

85. *Usurarius, an tenetur restituere, & quid tenetur?* ℟. tenetur restituere hæc: I. debet restituere usuras acceptas. II. fructus non merè industriales, perceptos ex usuris. III. Omne lucrum cessans. IV. Damnum emergens ex usuris acceptis. *Unde*, usurarius, si ante mortem non restituerit; tenentur hæredes restituere mutuatariis, ex bonis usurarii. *Ratio*; quia onus restitutionis, est affixum bonis De-

fun-

functi; ideoq; transit ad possessorem eorum.

Quæ pœnæ sunt latæ contra usurarios notorios, & manifestos? ℞. inter alias sunt hæ. I. Sunt infames jure civili, & Canonicô; ideoq; sunt irregulares. II. Privantur Communione altaris. III. Privantur Ecclesiasticâ sepulturâ. IV. Eorum obligationes non possunt accipi. *Ex Con: Lateran:* V. Irrita sunt eorum testamenta, nisi ante mortem restituerint, vel cautionem legitimam dederint pignoribus, vel fidejussoribus. VI. Nullus debet illos fovere in terris suis, neq; illis domos locare &c. *Plura apud Authores.* 86.

Confessarius, quid debet facere cum usurario? ℞. imo. (*ex Exam. Epp: f.* 105.) *Si sit notorius*, non debet illum absolvere, neq; dare Communionem, neq; sepelire in loco sacro, nisi priùs restituat, vel det cautionem de restituendo; *Si verò sit pauper*, saltem juret se restituturum, cùm primùm possit. ℞. 2do: *Usurarius, si non sit notorius, sed occultus*; similiter non debet absolvi, nisi re ipsa restituat (si potest) & ostendat vera signa cessationis ab usuris. *Si verò sit pauper & non potest*; debet absolvi cum proposito restituendi. *Usurarius notorius, est ille*; qui factô, vel jure manifestè usurarius est. *Notorius autem notorietate facti, tunc est*; quando mutuat palam ad usuram, ita, ut nulla tergiversatione possit celari. *Notorius notorieta-* 87.

te juris, tunc est, quando de hoc crimine in judicio est convictus, & damnatus. *In Gallia, dicitur addmitti sola notorietas, quæ habetur per sententiam judicis.*

88. *In quibus casibus licitum est exigere lucrum ultra sortem? seu quæ sunt causæ excusantes?* ℟. sunt duæ: *Lucrum cessans, & damnum emergens.*

Lucrum cessans; est emolumentum, quod percipere quis cessat præcipuè ratione mutui.

Damnum emergens; est detrimentum, quod quis patitur in bonis suis, præcisè ratione mutui.

89. *Quot sunt conditiones, ut licitum sit mutuanti, aliquid accipere ultra sortem?* ℟. quatuor: I. Ut lucrum cesset, vel damnum emergat, præcisè ex mutuo, non aliunde ex negligentia Domini, vel ex alia causa. II. Ut lucrum cessans sit verum & reale, non immaginarium & speculativum. III. Ut non sumatur tantùm, quantùm lucrum speratum valeret; sed detrahatur aliquid ratione expensarum, discriminum, & laborum, quæ quis subire debet in comparatione lucri. IV. Ut mutuans, faciat pactum expressum, de quantitate pretii recipiendi pro lucro cessante, & damno emergente. *De usuris, cum sit involuta materia, & varii possint contingere casus; summopere competit Confessariis, ut legant Casistas de usuris, de quibus varii resolvuntur casus; proinde ad illos remitto. Exam:*

Epp:

Epp: f. 103. Buzemb: & alii.

De Simonia.

Simonia, quò ad nomen unde dicitur? ℞. quò ad nomen dicitur: *à Simone Mago*; qui primus in lege nova, hoc crimen admisit, volendo emere pecuniâ dona Spiritûs S. Et hoc vitium reprehensum est à S. Petro: *pecunia tua tecum sit in perditionem Act: 8.* 90.

Simonia, quò ad rem quid est? ℞. est venditio rei Spiritualis, aut Spirituali annexæ, pro pretio temporali. 91.

Quotuplex est Simonia? ℞. *Est 5plex:* & sunt sequentes. I. *Simonia mentalis*; est traditio rei spiritualis pro temporali sine pacto explicito; sed tantùm mente retentô; *vg. Si Clericus det pecuniam, vel si inser-viat Prælato cum intentione, ut habeat beneficium pro pecunia, vel obsequio. Interim*; ad talem Simoniam non sufficit propositum præcisè nudum committendi Simoniam, sed debet esse voluntas efficax, quæ licèt non declaretur, tamen tendat ad opus externum; *vg.* si quis acciperet pecuniam pro Missa, non pro sustentatione. II. *Simonia Conventionalis*; est conventio facta ad dandum aliquid temporale pro spirituali, sed nondum executa saltem ex utraq; parte. Et hæc est *2plex: Simonia purè conventionalis*; quando initum est pactum, tamen ex neutra parte facta est traditio. *Et* 92.

Simo-

Simonia conventionalis mixta, & semirealis; quando una pars dedit pretium, & altera non tradit rem spiritualem; vel è contra. *Et hæc ultima constat partim reali, partim conventionali*. III. *Simonia realis*; est actualis traditio rei temporalis pro re spirituali, juxta promissionem, & conventionem factam. IV. *Simonia ficta*; est ficta conventio dandi rem temporalem pro spirituali, cum intentione non adimplendi. V. *Simonia confidentialis*, est renuntiatio, permutatio, aut resignatio beneficii sine licentia legitimi superioris, sub confidentia rei temporalis acquirendæ. *Dicitur: confidentialis, à confidentia*; id est: à conventione, seu pacto expresso, vel tacito, ita, ut ille (*cui procuratur beneficium*) aliquando illud resignet procuranti, vel alteri; aut ut præstet pensionem, vel aliquos fructus ex eodem beneficio, &c.

93. *Quotuplex est pretium Simoniacum*? ℞. est 3plex. I. *Munus à manu*; scilicet pecunia, & omnis res æstimabilis, sive sit mobilis, sive immobilis; *vg. gemmæ, vestes, equus, vinum, prædium, remissio debiti; Jus aliquod &c.* II. *Munus à lingva, seu pretium lingvæ*; uti sunt: *Favor, patrocinium, advocati, intercessio, adulatio, laus, commendatio apud alium, vituperium.* Hæc omnia sunt pretium Simoniacum, si ex pacto fiant, vel obligationem inducant. III.

Mu-

Munus ab obsequio; per quod intelligitur: *omne obsequium, servitium, Ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum. vg.* Si quis conferat beneficium alteri pro eo, quòd ejus negotia gesserit, & tales sunt: *Famuli Æconomi; &c.*

Quæ est materia, in qua potest committi Simonia? ℟. potest committi: In ordine, Beneficio, in professione Religiosa, & in aliis rebus sacris, & Spiritualibus: uti sunt: *Dona Spiritûs S. Gratia, virtutes, oratio, Sacramenta, Officia Divina, Benedictiones, Reliquiæ Sanctorum. Item*; omnis potestas spiritualis, ejusq; usus; uti sunt: *omnis actus ordinis, vel Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Item*; Res spirituali annexæ, sunt materia Simoniæ, id est: illæ res, quæ per se non sunt spirituales, sunt tamen illis annexæ, uti sunt: *Jus patronatûs respectu beneficii, vasa sacra, vestes, &c.* Labor intrinsecus, & necessarius administrandi Sacramenta; &c. 94.

Simonia quô jure est prohibita? ℟. prohibita est: I. *Jure naturali*; quod prohibet vendere, & pretiô temporali æstimare illud, quod non est venale, & quod omne pretium temporale excedit. II. *Jure Divinô*; ut habetur, *Math*: 10. *gratìs accepistis, gratìs date.* III. *Jure humanô*, scilicet Canonicô, & Ecclesiasticô, ut habetur in multis Canonibus, 95.

Simonia quale est peccatum? ℟. est pecca- 96.

tum

tum mortale, contra jus 3plex: *naturale*, *Divinum*, *& Canonicum*. Unde Simoniacus 3pliciter peccat: I. quia vendit, quod non est venale. II. quia vendit, quod suum non est. III. quia facit, contra originem rei spiritualis.

97. Simonia potest adhuc considerari 2plex: *Simonia juris Divini* & Simonia juris humani.

Simonia juris Divini; quæ ab intrinseco, & ex natura est mala.

Simonia juris humani, quæ tantùm est mala ex eo, quia prohibita est ab Ecclesia.

98. *Simonia juris Divini (quæ est indispensabilis) in quibus casibus potest contingere?* ℞. præcipuè in sequentibus:

I. quando datur vel accipitur temporale *pro virtutibus supernaturalibus, pro donis Spiritûs S. pro Sacramentis, pro Sacris Reliquiis, pro omni potestate spirituali, sive Ordinis, sive jurisdictionis, ejusq; actu; pro Prælatura Religiosorum; pro Jure eligendi, pro usu gratiarum gratis datarum, pro precibus, pro Officiis Divinis, & pro quavis functione spirituali, &c.*

II. Quando datur, vel accipitur temporale pro beneficio Ecclesiastico etiam simplici, & tantùm quò ad jus percipiendi fructus temporales. *Ita communiter TT.*

III. quando datur, vel exigitur temporale non tantùm pro receptione, vel admissione ad Religionem, sed etiam pro sustentatione ingredien-

dientis Religionem, quando bona monasterii sufficiunt; *Si tamen monasterium sit inops, neq; possit plures sustentare*; non est Simonia, exigere aliquid, non tamen plùs, quàm opus. Ita multi Doctores.

IV. Simonia juris Divini, etiam tunc est, quando venditur jus patronatûs. *Plura apud Casistas.*

Simonia juris humani in quibus casibus fit? ℟. in sequentibus: 99.

I. Quando fit permutatio beneficiorum sine authoritate Prælati, nullô interveniente pretiô.

II. Venditio officiorum Sacristæ, Æconomi, Confessoris, advocati, Procuratoris Ecclesiæ &c.

II. Quando accipiuntur munera etiam modica sponte, & gratis oblata ex occasione examinis ad Parochiam. *Ex Trid:. Item*, ex occasione collationis ordinum, Tonsuræ, Literarum dimissoriarum, vel testimonialium. *Ita Trid: Plura apud Casistas.*

Quæ sunt accepta per Simoniam, an debent restitui? ℟. debent restitui. *Observanda sunt hæc:* 100.

I. Beneficia, dignitates, officia, & alia hujusmodi simoniacè accepta non possunt conscientiâ bonâ retineri; sed debent dimitti cum omnibus fructibus ante omnem sententiam. *Ratio; tum quia*, talis est sensus omnium DD. *Tum quia*, talis est sensus, & usus Ecclesiæ.

Tum



Tum quia; sine justo titulo est possessio talis &c.

II. Simonia, si sit realis, in materia beneficiali simoniacè accepta, debet esse restitutio Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem sententiam.

III. Qui dant, vel accipiunt, vel permittunt aliquid pro aliqua justitia, vel gratia, apud Sedem Apostolicam obtinenda, incurrunt ipsô factô Excommunicationē Papæ reservatam; justitia verò vel gratia sic obtenta nulla est, licet nondum completa sit promissio. *V.n.*714. *IX.*

IV. Simonia, si sit mentalis, non debet esse restitutio. *Ratio*; *Tum quia*; in Simonia mentali nulla est in justitia externa (quæ inducit obligationem restituendi,) sed tantùm est injustitia affectiva. *Tum quia*; talis est usus Rotæ & pœniten: *Tum quia*; Ecclesia non punit actus merè internos, neq; irritat collationem beneficii, nisi simonia sit externa saltem implicite.

101. *Ex quibus causis potest dari pecunia sine labe Simoniæ?* ℞. *Examen Episcoporum enumerat sequentes; inter alias*: I. Si detur per modum sustentationis ministrorum rerum spiritualium. II. Si detur per modum eleemosynæ. III. Si detur, per modum oblationis, quæ fit DEO in suo Ministro. IV. Si fiat per modum liberalitatis, seu spontaneæ donationis, & gratitudinis. V. Si fiat per modum lauda-



laudabilis, cōſvetudinis, quia ſi quis ex tali cōſvetudine det temporale pro Spirituali, videtur dare per modum Eleemoſynæ, vel oblationis. *Plura de Simonia fusè valde ſcitu neceſſaria Spiritualibus; vide apud Caſiſtas.*

De Furto.

Quid eſt furtum? ℟. eſt occulta & injuſta rei alienæ ablatio, invitô rationabiliter Dominô. *Dicitur: rationabiliter invitô Dominô;* quia dantur tales caſus, in quibus licitum eſt accipere, Dominô irrationabiliter invitô. *V. Caſiſtas.* 102.

In furto quæ quantitas requiritur ad peccatum mortale? ℟. hæc quantitas à Doctoribus non eſt deciſa finaliter, ſed totum relinquunt arbitrio & prudentiæ Confeſſarii, *ut penſatis circumſtantiis, decidat, ſequendo potiùs rigidiorem ſententiam, quàm laxiorem Buzemb: tamen, & quidam alii,* deſignāt ad peccatum mortale ſufficere; *ſi à valde divite, imò etiam à Rege auferatur* unus aut alter aureus nummus; *ſi à mediocriter divite,* quatuor floreni; *ſi à mechanicis* duo floreni; *ſi à paupere,* ſufficit etiam unus florenus. 103.

Dictum: ut penſatis circumſtantiis decidat Confeſſarius; quia grave peccatum eſt auferre rem parvam Domino valde proficuam; v.g. peccatum grave eſt auferre Sartori pauperi acum



acum, quam unicam habet, neq; poteſt habere aliam, quâ ſibi comparet alimenta. *Deinde*, grave peccatum eſt (*licèt non in ſpecie furti*,) ſi fur ſciat ex jactura rei parvæ, Domino ſecuturam valde magnam moleſtiam; *vg.* quia valde magnô affectu ad illã ferebatur, neq; poteſt ſimilis procurari. *Unde in hac materia furti*, non Mathematicè, ſed moraliter quantitas furti ponderari debet; videlicet non tantùm ex valore rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ, cui infertur injuria per furtum; id eſt: ſi illi grave damnum inferatur, vel graviter charitas lædatur &c. *Confeſſario quid faciendum cum fure? dicetur.* 755. Nota: *In materia furti, cùm varii dentur caſus, quorum reſolutio ſpectat ad Confeſſariorum notitiam. I. quomodo peccant, qui plura minuta furta committant? II. De furtis amicorum & Domeſticorum, id eſt: Filiorum, Uxoris, Mariti, ſervorum &c. III. Fuſiſſima materia etiam eſt de reſtitutione. IV. De contractibus falſis doloſis &c. V. De emptione, venditione, & negotiatione. VI. De tutela, de tutoribus, & de teſtamentis. De his & aliis nimis neceſſaria & proficua eſt notitia Confeſſariis, cùm tamen ſit extra ſphæram hujus breviloquii, proinde remitto reliqua ad Caſiſtas.*

De

§)(*)(§

De homicidio, illiq; annexis.

Quid est homicidium? ℟. est injusta hominis occisio; seu est privatio vitae temporalis humanae. 104.

Quotuplex est homicidium? ℟. est 2plex: *Voluntarium, & casuale.* 105.

Homicidium voluntarium; est actio deliberata, & violenta, quâ quis vel per se, vel per alium, homini vitam aufert.

Homicidium Casuale; est actio, quae praeter intentionem agentis, homini vitam aufert.

Quid est occisio cum moderamine inculpatae tutelae? ℟. est actio occisiva aggressoris, ex necessitate justae defensionis; quando quis, aliter non potest se defendere, quàm occidendo. 106.

Quid est occisio sine moderamine inculpatae tutelae? ℟. est actio occisiva aggressoris, occasione justae defensionis; quam aliter quis poterat obtinere, etiam non occidendo invasorem. 107.

Homicidium, quot modîs dicitur voluntarium? ℟. Sex modis, & sunt hi: I. *Factum*; quando quis opere suô exequitur homicidium. II. *Praeceptum*; quando quis praecipit, & mandat occidere. III. *Consilium*; quando quis consulit amico, vel Principi occidere. IV. *Negatio auxilii debiti*; quando quis debet, & potest impedire homicidium, tamen non impedit. V. *Patrocinium occisoris*; quan- 108.

do quis patrocinatur, & fovet homicidas. VI. *Cooperatio ad occisionem*; quando quis auxiliô, & opere suô adjuvat alios ad occidendum.

109. *Quid est mutilatio?* ℞. est amputatio membri, & omnis læsio corporis.

110. *Quid est bellum, & quotuplex?* ℞. Bellum est multitudo militum contra extraneos. *Bellum hoc, est 2plex*: I. *Bellum offensivum*; est actio, quâ publica authoritate, armîs, & aliîs instrumentîs bellicîs, alteri Provinciæ vis infertur. II. *Bellum defensivum*, est actio, quâ publicâ authoritate, vis illata Regno, seu Provinciæ ab exteris, repellitur per possidentes.

111. *Quid est Duellum?* ℞. est pugna inter duos ex condicto suscepta, id est: designando arma, tempus, & locum, cum periculo vitæ, aut gravis vulnerationis *V. n.* 752.

112. *Quid est Abortum procurare?* ℞. est applicatio studiosa alicujus medii ad ejiciendum fœtum animatum mortiferè, ante tempus, etiam effectu secutô. *V. n.* 753.

De Scandalo.

113. *Quid est scandalum?* ℞. est dictum, vel factum, quod est occasio ruinæ spiritualis proximo.

114. *Quotuplex est scandalum?* ℞. est *2plex*: Activum, & passivum.

Scan-



Scandalum Activum, est illud, quod activè præbet alteri occasionem ruinæ spiritualis.

Scandalum passivum, est ipsa ruina spiritualis, orta ex activo. *Hoc scandalum, si oriatur ex malitia, dicitur: scandalum Pharisaicum.*

De Delectatione morosa, & desiderio.

Quid est delectatio morosa? ℟. Est voluntaria & deliberata complacentia mentalis in re turpi, sine ordine ad opus. *Nota; Dicitur: delectatio morosa*, non à temporis mora, (*quia cùm consistat in actu interno, potest consummari in uno instanti*) sed dicitur talis ex mora rationis, & sufficientis advertentiæ, ut sit peccatum. 115.

Quid est desiderium inhonestum? ℟. Est actus voluntatis, quô quis determinatè cupit exequi actum turpem, & illicitum. 116.

De Mendacio.

Quid est mendacium? ℟. Est verbum prolatum cum intentione fallendi, & decipiendi audientem. 117.

Quotuplex est mendacium? ℟. 3plex: Jocosum, officiosum, & perniciosum. 118.

Mendacium jocosum, est locutio falsa ex motivo delectationis, & lusûs.



Mendacium officiosum; est locutio contra mentem causâ utilitatis propriæ, vel alienæ.

Mendacium perniciosum; est locutio contra mentem, cum intentione damnificandi proximum.

De Detractione.

119. *Quid est detractio?* ℟. Est injusta ablatio famæ alterius absentis, imponendo illi crimen falsum, vel revelando crimen verum, sed occultum.

120. *Quid est contumelia?* ℟. Est injusta ablatio famæ alterius præsentis.

121. *Quot sunt modi detrahendi, qui versantur circa bonum?* ℟. sunt quatuor, expressi in hoc carmine: *Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatq; remissè.*

I. *Qui negat*; ille dicitur negare, qui negat alterius virtutem, ex qua famam habet apud alios.

II. *Aut minuit*; id est: ille minuit, qui licet non neget virtutem; tamen illam facit minorem suîs verbîs, vel signîs.

III. *Tacuit*, id est: ille tacendo detrahit, qui (*cùm de fama alicujus periculum est*) cui potest ipse subvenire, nihil dicit, vel quia aliîs laudantibûs aliquem, ipse tacet, in quo dat intelligere, se aliorum laudi non consentire.

IV. *Laudatq; remissè*; id est: qui parùm laudat verbô, gestu, vel signô, quod magna laude

de dignum est. *Et hic modus reducitur ad secundum.*

Quot sunt modi detrahendi, qui versantur circa malum? ℟. sunt quatuor expressi in hoc carmine: *Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.* 122.

Qui modi sic explicantur: I. *Imponens ille dicitur;* qui infamat alterum, imponendo crimen, quod non habet; *Et hic modus detractionis, est pessimus.* II. *Augens, ille dicitur;* qui narrando alterius crimen verum, ipsum auget amplificando, & exaggerando, ut majus appareat. III. *Manifestans, ille dicitur;* qui crimen occultum revelat, & manifestat aliis, intendendo illius famam auferre. IV. *In mala vertens, ille dicitur;* qui bona opera alterius in malam partem interpretatur, minuendo illius famam coram aliis. *Ita Tolet: l. 5. cap: 64. de Detractione.*

Quot sunt conditiones, ut detur obligatio restituendi famam? ℟. tres requiruntur conditiones. I. Ut fama sit læsa à parte rei. II. Ut fama sit læsa contra justitiam. III. Ut fama aliunde non sit adhuc recuperata. (*Ita recentiores.*) *V. n. 756.* 123.

De Judicio temerario, suspicione &c.

Quid est Judicium temerarium? ℟. Est 124.

 assen-

assensus firmus sine ulla hæsitatione de culpa proximi, fundatus in levibus & frivolis conjecturis.

125. *Ut Judicium temerarium sit peccatum mortale, quot conditiones requiruntur?* ℟. quatuor: I. Ut Judicium temerarium sit in materia gravi. *Gravitas autem, vel levitas;* debet attendi, vel ex ipsa substantia materiæ, vel ex qualitate personæ. II. Ut Judicium formetur tanquam moraliter certum. *Unde; suspicio, dubitatio, & opinio temeraria*, non sunt peccatum mortale, sed veniale; quia cum sint actus imperfecti in genere judicii, neq; totaliter tollant possessionem bonæ famæ; non censetur gravis injuria, nisi aliis manifestetur. III. Ut Judicium sit ex levibus conjecturis, quia si sit ex gravibus & sufficientibus, judicium erit prudens, quod prudentiæ discernendum relinquitur. IV. Ut judicium sit plenè deliberatum, cum plena advertentia temeritatis, & malitiæ gravis, & cum plena libertate voluntatis.

126. *Quid est suspicio?* ℟. Est opinio mali, orta ex levibus indiciis, sine firmo assensu, sed cum formidine oppositi.

127. *Quid est derisio?* ℟. Est dehonoratio proximi per verba, vel per gestus cum intentione confundendi.

128. *Quid est susurratio?* ℟. Est peccatũ lingvæ recensentis defectus proximi, ad excitandas rixas, & querelas, inter amicos.

De

❧)(*)(❧

De circumſtantiis peccatorum.

Circumſtantia peccati quid eſt? ℟. Eſt modus, cum quo peccatum committitur. Vel ſic: *eſt accidens, ſeu affectio ſuperveniens actui, adferens illi malitiam*; *vg.* actûs furti objectum principale, eſt res aliena, cui actui poteſt advenire, & defactò ſæpè advenit circumſtantia loci ſacri, vel ſcandali, vel intentionis peſſimæ ob quam quis furatur. 129.

Circumſtantiæ peccati, quotuplices ſunt? ℟. ſunt 2*plices*: Circumſtantiæ ſpeciem mutantes, & circumſtantiæ aggravantes, non tamen ſpeciem mutantes. 130.

Circumſtantiæ ſpeciem mutantes; quæ addunt actui malitiã ſpecie diverſam. *vg.* dum furtum fit in Eccleſia, malitiæ furti additur malitia ſacrilegii. Item, ſi percutiatur Clericus, circumſtantia Sacræ perſonæ, addit injuſtitiæ peccato, malitiam ſacrilegii.

Circũſtantiæ aggravantes, nõ tamẽ ſpeciẽ mutantes; quæ peccato non addunt malitiam ſpecie diverſam, ſed aggravant intra eandem ſpeciem graviùs & graviùs. *vg. furtum, centum florenorum*; in ſpecie furti eſt graviùs, quàm furtum decem florenorum, tamen hæc duo furta, ſunt ejusdem ſpeciei, non diverſæ.

Circumſtantiæ peccati ſpeciem mutantes, an 131.



an debent exprimi in confessione? ℞. debent exprimi. *Ita definitum est in Trident.*

132. *Circumstantiæ peccati tantùm aggravantes, an debent exprimi in confessione?* ℞. Circumstantiæ peccati notabiliter aggravantes, & mortalem malitiam addentes, debent necessariò exprimi in confessione. *Plura apud Casistas.*

De Ignorantia.

133. *Quid est ignorantia?* est carentia notitiæ de aliqua re.

134. *Quotuplex est ignorantia?* ℞. est *2plex:* Ignorantia invincibilis, & vincibilis.

Ignorantia invincibilis, seu inculpabilis; est carentia omnis notitiæ de aliqua re, ut nulla dubitatio, & cogitatio occurrat de obligatione inquirendi veritatem. *Et talis ignorantia, cùm non sit libera, non est culpabilis; nullô enim studiô, & nullâ diligentiâ adhibitâ, potest vinci. Ignorantia vincibilis, seu culpabilis;* quæ potest vinci ex eo, quòd occurrat aliquod dubium de contrario, seu de illa re, quæ dicitur ignorari, vel occurrit cogitatio de obligatione inquirendi veritatem de illa. *Et hæc Ignorantia est libera, potestq; esse culpabilis & peccaminosa, si sit. v. g. in mysteriis fidei &c.*

135. *Ignorantia adhuc 2plex est:* Ignorantia juris, & facti.

Igno-



Ignorantia juris; tunc est, quando quis ignorat ipsam legem, vel consvetudinem; *vg. Si quis nesciret commestionem carnium, feriâ sextâ esse prohibitam.*

Ignorantia facti; quando quis ignorat rem particularem, ex qua actio moralis, veluti ab objecto dependet. *vg. Si quis comedendo carnes, nesciret illas esse tales, vel non cogitet feriam sextam esse.*

Ignorantia adhuc est *2plex*: Ignorantia affectata, & non affectata. 136.

Ignorantia affectata; quando quis ex proposito, & ex industria, vult illa ignorare, quae scire obligatur; secundùm illud Prophetæ: *noluit intelligere, ut bene ageret.*

Ignorantia non affectata, seu crassa, & supina; tunc est, quando quis nullam adhibet diligentiam, vel saltem modicam ad illa scienda, ad quæ obligatur.

TRACTATUS IV.

De Virtutibus.

CAPUT I.

De virtutibus Theologicis in cõmuni.

PRænota *1mo. Virtutes possunt considerari* 137.
2plices: Aliæ intellectuales, & aliæ virtutes voluntatis.

Virtus intellectualis; est illa, quæ inclinat

nat intellectum ad rectam operationem, id est: ad judicium verum, & conforme suo objecto. Et talis virtus, secundùm Aristotelem est 5plex: *Ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus.* De quibus fusè tractat Logica.

Virtus voluntatis; est illa, quæ inclinat voluntatem ad rectas, & conformes Regulis morum, operationes.

138. *Prænota 2do.* Virtus adhuc est *2plex*: Acquisita, & infusa.

Virtus acquisita, est illa, quæ acquiritur ex bonis actibus frequentatis inclinans potentiam ad similes actus eliciendos; *vg. Logica, Physica, &c.*

Virtus infusa, seu supernaturalis, est illa, quæ à DEO infunditur, sine actibus frequentatis.

139. *Prænota 3tio.* Virtus infusa est *2plex*: I. *Virtus infusa per se, & quò ad substantiam*; est illa, quæ ex natura sua non potest acquiri per actus frequentatos, sed à solo Deo infunditur; *uti sunt: Fides, spes, charitas &c.* II. *Virtus infusa, quò ad modum*; est illa, quæ ex natura sua, licèt posset acquiri per actus frequentatos, tamen per omnipotentiam DEI infunditur sine ullis actibus frequentatis; *uti defactò est scientia infusa Beatissimæ Virgini MARIÆ, Primo Parenti in statu innocentiæ, Salomoni, &c.*

Vir-



Virtus Theologica quid est? ℞. est habi- 140.
tus supernaturalis à Deo infusus, elevans animam ad attingendum Deum immediatè & objectivè. Vel sic: *est virtus supernaturalis, quæ habet ipsum Deum pro objecto, tam formali, quàm materiali.*

Virtus Theologica, an potest dici mo- 141.
ralis? ℞. potest diei moralis in latiori sensu; quatenus, etiam virtutes Theologicæ perficiant actiones nostras, in genere moris.

Virtutes Theologicæ, per quod differunt 142.
à moralibus? ℞. differunt per hoc, quia virtutes Theologicæ, pro objecto formali, immediato, & directo, habent aliquam perfectionem increatam; *vg. Fides Theologica habet pro objecto formali veracitatem Dei in revelando. Spes Divina, bonitatem Dei respectivè ad nos. Charitas Divina, bonitatem Dei in se, prout Deus est sibi bonus. Jam verò virtutes morales,* habent pro objecto formali immediato & directo, honestatem aliquam creatam. *vg. Justitia, habet pro objecto, formali honestatem, in tribuendo unicuiq; jus suum. Religio, honestatem relucentem in cultu Divino. Misericordia, honestatem in succurrendo egestati &c.*

Quis finis, & necessitas virtutum Theo- 143.
logicarum? ℞. finis est, ut homo justificetur, & adjuvetur ad opera meritoria vitæ æternæ,

per



per formas inhærentes, & permanentes.

144. *Virtutes Theologicæ, quomodò sunt necessariæ Potentiis?* ℟. sunt necessariæ ad simpliciter posse operari, non quidem ita, ut sint causæ totales efficientes, sed quia partialiter, simul cum potentiis, concurrant ad actus supernaturales. *Dant autem simpliciter posse operari, ex eo:* quia potentia de se, & cum generali Dei concursu, nullos potest actus supernaturales elicere.

145. *Quot sunt virtutes Theologicæ?* ℟. sunt tres: Fides, Spes, & Charitas; *de quibus singulis seorsivè sit.*

CAPUT II.

De Fide Theologica.

146. *Fides Theologica quid est?* ℟. Est virtus Theologica inclinans ad credendum omnia illa firmissimè, quæ Deus revelavit, & quæ nobis per Ecclesiam credenda proposuit. *Dicitur: quæ per Ecclesiam credenda proposuit,* quia tantùm obligamur ad credendum illa, quæ Ecclesia proponit, non tenemur autem credere revelationibus aliarum privatarum personarum.

147. Fides ab aliis sic definitur: *est virtus Theologica, inclinans ad credendum ea, quæ Deus revelavit immediatè per se, vel mediatè per Ecclesiam credenda, proposuit.*

148. *Fidei Divinæ quale est objectum materiale?* ℟. objectum materiale adæquatum, sunt



ſunt omnes res à DEO revelatæ.

Fidei Theologicæ quale eſt objectum formale? ℞. objectum formale: *eſt veritas prima in cognoſcendo & dicendo*; ſeu objectum formale fidei: *eſt authoritas Dei revelantis.* *Notanda ſunt hæc:* I. *Veritas in cognoſcendo*; nil aliud eſt, niſi ſumma & infinita perfectio Divinæ ſcientiæ, vi cujus Deus neq; falli poteſt, neq; ignorare quidquam. *Et talis veritas in cognoſcendo*, opponitur immediatè falſitati, errori, & ignorantiæ; hæc enim omnia implicant in DEO.

II. *Veritas in dicendo (aliter dicitur: Veracitas, vericiditas;*) eſt ſumma & infinita rectitudo, ac bonitas voluntatis Divinæ; vi cujus Deus neq; vult, neq; poteſt velle ullum fallere. *Et hæc veritas, opponitur Mendacio, & potentiæ mentiendi*; quia in Deo implicat, ſicut potentia, ita ipſum mendacium.

III. *Per ly: authoritatem Dei revelantis*; intelligitur utraq; præfata veritas in cognoſcendo & dicendo, & inſuper revelatio Dei activa.

IV. Revelatio Divina deſcribitur ſic: *eſt locutio Divina, quâ Deus manifeſtat conceptum ſuum creaturæ de aliquo objecto.*

V. *Revelatio Divina*, poteſt conſiderari 2*plex*: *Revelatio activa*; eſt ipſe actus Dei increatus, & intrinſecus Deo revelanti, tenens ſe ex parte Dei. *Revelatio paſſiva*; eſt ſignum

gnum



gnum aliquod creatum, & externum Deo, per quod fit manifestatio, & revelatio Divina. *vg. Species impressæ, illustrationes, voces externæ. Item*, omnia motiva credibilitatis, quæ ostendũt factã esse Revelationẽ activã; uti sunt: *Miracula, Martyria, propositio universalis Ecclesiæ, prædicatio Apostolorum &c. de quibus motivis V. n.* 152.

VI. Eadem authoritas Divina, *est ultimũ Resolutorium fidei Divinæ. Ratio*, quia authoritas Divina, est ultima ratio, propter quam omnia credimus à Deo revelata. *vg.* Si quis nos quærat: *quare credimus Sanctissimam Trinitatem?* Respondemus per ultimam rationem, seu per ultimum resolutorium: *quia Deus summè verax in cognoscendo & dicendo, hoc nobis revelavit.*

150. *Quæ sunt requisita ad assensum fidei Divinæ?* ℞. duo sunt requisita. I. *Actus intellectûs (qui dicitur: Judicium credibilitatis)* quô judicamus aliquod objectum à nobis esse credendum. II. Requiritur: *Actus voluntatis (qui dicitur: Pia affectio, seu Imperium voluntatis,)* quô volumus credere, & quô voluntas imperat Intellectui, ut eliciat actum fidei; unde ratione hujus Imperii, actus fidei dicitur: *Liber, actus voluntatis imperatus. Tandem*, præmissîs prædictîs duobûs actibûs, *elicitur ab intellectu ipse assensus fidei*; quô credimus aliquid. *Unde constat*;

quòd


quòd aliud est judicare, aliquid esse credendum; (*quod fit per judiciū credibilitatis*,) aliud est velle credere (*quod fit per Imperium voluntatis*) & aliud est, *actu credere*, quia hoc fit per ipsum actum, & assensum fidei.

An dantur motiva credibilitatis fidei Divinæ? ℞. defactò dantur motiva sufficientia ad fundandam evidentiam absolutam credibilitatis mysteriorum fidei Divinæ; *ita omnes Catholici Doctores*; *tum quia*; ita S. Scrip: *Ps.* 92. *Testimonia tua credibilia sunt facta nimis. Tum quia*; si motiva credibilitatis non darentur; multis esset impossibilis salus æterna, quia salus æterna non potest esse sine fide; *fides*, non potest haberi sine Imperio voluntatis; *Imperium voluntatis*, non potest haberi sine judicio credibilitatis; *Tandem Judicium credibilitatis*, nullatenus potest haberi, sine motivis sufficientibus; *ergo* dantur motiva credibilitatis. 151.

Quæ sunt motiva credibilitatis fidei Catholicæ? ℞. plurima à variis Authoribus enumerantur; nos brevitati consulendo, attingemus aliqua præcipua, uti sunt: 152.

Primum motivum, est: *Antiquitas fidei nostræ*; quatenùs omnia defactò creduntur, quæcunq; à Patriarchis, Prophetis, à Christo Domino, ab Apostolis, & ab omnibus antiquis Patribus per omnia sæcula credebantur.

Secundum motivum, est: *stabilitas*, & *fortitudo*



titudo fidei nostræ; quatenus Ecclesia non est expugnabilis, quæ licèt ab initio per multa sæcula fuerit impugnata à variis Barbaris, & Tyrannis, tamen nulla vi & persecutione potuit everti. *Deinde*; variæ hæreses & sectæ fuerunt, tamen omnibus his restitit, & resistit; quarum sectarum licèt aliquæ defactò reperiantur; tamen jam plurimæ penitùs sunt extinctæ, nomine tantùm relictô suæ malitiæ.

Tertium motivum, est: *Universalitas fidei nostræ*; quatenus fides Catholica per universum mundum sit diffusa.

Quartum motivum, est: *veritas fidei nostræ*; quatenus omnia vera docentur, ita,ut nullatenus possit subesse & convinci falsum, *Ecclesia enim est fundamentum, & columna veritatis, habet assistentiam Spiritûs S.*

Quintum motivum, est: *conformitas, & uniformitas fidei nostræ*; quatenus doctrina sit uniformis per totam Ecclesiam, per omnia tempora sine ulla mutatione, hactenus continuata. *Unde*; Hæretici, cum in sua doctrina discrepent, nullam habendo cohærentiam, & constantiam doctrinæ suæ, ideo facilè convincuntur.

Sextum motivum, est: *Sanctitas fidei nostræ*; (*aliter dicitur: Puritas doctrinæ Catholicæ*) quatenus omnia docentur digna Deo. *v.g. Charitas Dei & proximi, refrenatio*

passio-

passionum, amor bonorum operum; fuga peccatorum, contemptus rerum terrenarum. Deinde, Sanctitas habetur etiam exinde; *quia habuit Ecclesia, & habet plurimos Sanctos Viros; idq; omni saeculo, & tempore.*

Septimum motivum, est: magnus numerus Doctorum; qui in Ecclesia Catholica florebant, & florent ingeniô, doctrinâ, & sanctitate; fidem esse veram profitendo, & praedicando.

Octavum motivum, est: Mira fidei nostrae propagatio; quatenus mirô, & stupendô modô, propagata sit Religio Catholica, id est: non per arma, non per divitias, non per honores, sed per homines illiteratos, & despectos apud mundum, conversi sunt homines potentissimi, & sapientissimi; imò totus mundus conversus est; uti erant Apostoli, eorumq; successores, qui Crucifixum praedicando, & sola invisibilia promittendo, per totum mundum fidem propagârunt.

Nonum motivum, est: Rationabilitas fidei nostrae; quatenus in Ecclesia quaecunq; docentur, sunt congrua, & convenientia lumini rationis, id est: omnia sunt honesta, laudabilia, virtutes plantantia, & vitia extirpantia.

Decimum motivum, est: Authoritas ipsius Christi Domini; qui haec omnia docuit, quae hodie Ecclesia Romana docet, & profitetur.



Undecimum motivum, est: Prædicatio Prophetica; id est: ipsa Testimonia Prophetarum; qui multa antea prædixerunt de mysteriis Christianæ fidei, quæ jam sunt impleta, de adventu Christi, de morte, de Resurrectione &c.

Duodecimum motivum, est: Miracula; quatenus in Ecclesia Catholica multa, & magna miracula sint patrata, tum ab ipso Christo Domino, tum ab Apostolis, tum ab aliis Sanctis, & omni tempore patrantur; *quis etiam enumerabit mutos, surdos, cæcos, claudos sanatos, mortuos resuscitatos? &c.* tamen nil simile habent hæreses, schisma, & aliæ sectæ.

Decimum 3tium motivum, est: Martyria; quatenus innumera ferè Martyria, à variis personis, pro defendenda fide Catholica tolerata sunt, idq; cum admirabili fortitudine, constantia, & alacritate.

Decimum 4tum motivum: Providentia DEI; quatenus impossibile est, ut DEUS permittat tot homines pietate, & sanctitate insignes per tot sæcula errare, contra Religionem. *Plura apud Authores.*

153. *Quot sunt Notæ, seu Characteres veræ Ecclesiæ?* ℟. sunt sequentes: I. Quòd Ecclesia sit: *Perpetua*, quia neq; deficit, neq; deficiet unquam. II. Quòd sit: *Visibilis*, ut ad illam ingredi volentibus pateat accessus. III. Quòd sit: *Una*, tum ratione uniformis doctrinæ, tum ratio-



ratione unius Capitis Christi Domini &c. IV. Quòd sit: *Sancta*, propter puritatem doctrinæ; & quia est Sponsa Christi sine macula. V. Quòd sit: *Catholica*, id est: universalis, & diffusa per universum orbem. VI. Quòd sit: *Apostolica*, id est: fundata super Apostolos.

An datur defacto regula infallibilis, & 154.
universalis fidei nostræ Catholicæ? ℟. Regula universalis, & infallibilis fidei, proponens credenda fide Divinâ, non tantùm defacto datur; sed simpliciter est necessaria, pro hoc rerum statu; ut per illam certò discernantur revelata à non revelatis. *Omnes DD.*

Observanda sunt hæc: I. Hæc regula fidei potest describi sic: *Est illa, per quam certò, & infallibiliter dignoscuntur credenda à non credendis.* II. Regulæ fidei sunt quinque: *Ecclesia, Concilium Generale sumptum cum Papa, Papa ut loquens ex Cathedra, Sacra Scriptura, Traditiones.* III. *Regula fidei universalis debet esse viva. Ratio; Tum quia*, sine regula viva nullus posset discernere Sacros libros à Spiritu S. dictatos, ab aliis libris, qui non sunt tales, *tum quia*, in Ecclesia multa sunt dubia circa S. Scripturam, & traditiones; *Ergo*, ut resolvantur dubia infallibiliter, debet esse aliqua infallibilis, & universalis Regula viva, quæ hæc dubia resolvat, & explicet. IV. *Universalis Ecclesia non potest errare in materia fidei credenda, vel proponenda,*

sive proposita reperiantur in S. Scriptura expressè, sive implicitè. Tum quia; ita S. Scr: *ut Matth*: 18. *Si Ecclesiam non audiêrit, sit tibi, sicut Ethnicus. Tum quia*; Ecclesia in definiendis, ne erret, habet assistentiam Spiritûs Sancti. *Porro per assistentiam Spiritûs S. intelligitur* auxilium extrinsecum, & insuper gratiæ actuales illustrantes Ecclesiam, ne erret in definiendis, & propter hanc assistentiam Spiritûs S. Ecclesiâ dicitur: *Columna, & firmamentum veritatis.* 1.*ad Timoth.* 3. *Item; Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Matth.* 16.V. *Summus Pontifex loquens, ut Papa, seu ex Cathedra; est infallibilis regula fidei, sive cum Concilio, sive absq; Concilio generali. Ratio*; quia de fide est, hunc Pontificem habere assistentiam Spiritûs S. ne erret in regenda Ecclesia; aliàs si erraret, hoc ipso Ecclesia non esset columna veritatis; errante enim capite, erraret totum corpus Ecclesiæ; & sic non verificaretur illud: *Portæ inferi non prævalebunt, &c.* VI. *Summus Pontifex, etiam infallibilis est in decretis morum, concernentium totam Ecclesiam*; id est: non potest rem malam, vel nocivam saluti, præcipere toti Ecclesiæ, vel bonum prohibere,quod est necessarium saluti. *Ratio, ut supra immediatè.* VII. *Summus Pontifex est infallibilis Regula in Canonizatione Sanctorum,*

con-



consequenter in hoc non potest errare. *Item*, non potest errare *in Beatificatione Sanctorum*. *Item*, non potest errare *in approbatione Religionum*, & in similibus. *Ratio*; quia si posset errare in eis, erraret in re maximi momenti, inducendo totam Ecclesiam in errorem; hoc tamen non potest dici; *ergo*. VIII. Summus Pontifex potest sumi, 2*pliciter*: *Primò*. *Ut Doctor & Persona privata*, & *particularis*, id est: quando ex propria mente librum aliquem interpretatur, vel exponit opinionem suam, vel tractat aliquam quæstionem &c. nil docendo vi authoritatis Papalis. *Secundò*: Summus Pontifex sumitur: *ut Papa*, *seu ut Christi Vicarius*, (seu ut passim dicitur: *Ex Cathedra loquens*,) quando proponit, vel definit credenda ab omnibus Fidelibus tanquam à DEO revelata. IX. Summus Pontifex, *ut privatus Doctor*, *Concionator*, *vel interpres*; potest aliquando errare; *non potest tamen ex Cathedra loquens*. X. *Concilium generale*, *ab Ecclesia pro vero & legitimo acceptatum*, & *à Papa confirmatum*, *est regula infallibilis fidei*, & *morum*, consequenter talia Concilia, non possunt errare in materia fidei. *Unde*, Nullum Concilium particulare Episcopale, vel Provinciale, seu Notionale, est infallibilis regula fidei, nisi sequatur Papæ Confirmatio. *Concilium autem generale*, *ut legitimè sit congregatum*, *debet esse indi-*



ctum à Romano Pontifice, qui in eodem per se, vel per suos Legatos, vel per Substitutos præsideat.

De Divisione Fidei.

155. *Fides ut sic genericè sumpta, quotuplex est?* ℟. est 2plex: *Fides humana*, est assensus propter authoritatem hominis dicentis. *Fides Divina*, est assensus propter authoritatem Dei loquentis; *de qua hic loquimur. Et hæc fides est supernaturalis, quò ad substantiam, neq. acquiritur per actus frequentatos, sed à Deo infunditur, & dat non faciliùs, sed simpliciter posse operari.*

156. *Fides Divina seu Theologica quotuplex est?* ℟. est 2plex: Fides formata, seu viva, & fides informis seu mortua.

Fides viva, est illa, quæ conjuncta est cum gratia sanctificante, & charitate. *Et hæc tantùm in hominibus datur justis.*

Fides mortua; quæ non est conjuncta cum gratia sanctificante & charitate.

157. *Actus fidei quotuplex est?* ℟. est 2plex: Internus, & externus. *Actus fidei internus*; est assensus mentalis firmus, solâ mente factus, nullîs verbîs & signîs exterioribûs expressus. *Actus externus*, est professio fidei ore facta.

158. *Quid est credere fide explicitâ, & implicita?* ℟. *Credere fide explicita*; tunc, quando directè, & in particulari, credimus aliquem arti-



articulum à DEO revelatum; *vg.* dum credimus Deum esse unum in essentia, & Trinum in Personis.

Credere fide implicita; tunc, quando credimus in communi omnia illa, quæ Deus revelavit & per Ecclesiam ad credendum proposuit. *vg.* qui (*nihil cogitando de Sanctissima Trinitate*) credit omnes illos articulos fidei, quos credit Ecclesia, credit implicitè Sanctissimam Trinitatem; quia illam Ecclesia credit.

De Necessitate Fidei Divinæ.

Quotuplex est necessitas in materia fidei? ℟. *2plex:* Necessitas medii, & necessitas præcepti. 159.

I. *Necessitas medii, (est necessitas absoluta, & simpliciter talis)* quæ ita obligat sub pœna mortis æternæ, ut nullam admittat excusationem ignorantiæ, etiam invincibilis. *Unde; necessarium necessitate medii est illud;* quô non habitô, etiam invincibiliter, non potest obtineri salus animæ. *Ut dicetur n.* 161.

II. *Necessitas Præcepti; (est necessitas secundùm quid)* est illa, quæ obligat quidem sub pœna mortis æternæ, admittit tamen excusationem ignorantiæ invincibilis. *Unde, necessarium necessitate præcepti;* est illud, quô

non habitô culpabiliter, non poteſt obtineri ſalus, tamen ſi quis propter ignorantiam invincibilem, vel aliam legitimam cauſam non faceret id, adhuc ſalvaretur.

160. *An eſt neceſſarium ad ſalutem omnia credere, quæ ſunt à Deo revelata?* ℟. eſt neceſſarium omnia credere fide ſaltem, implicitâ.

161. *Quæ Myſteria, ſeu articuli fidei ſunt explicitè credendi neceſſariò neceſſitate medii?* ℟. ſequentes articuli: I. Debemus explicitè credere; *Deum eſſe, & Remuneratorem eſſe* juxta illud: ad Hæbr: 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Fides hæc debet intelligi de Deo Remuneratore ſupernaturali; *quatenus juſtis, ſit* conceſſurus vitam æternam; *injuſtis & malè viventibus,* æternam mortem. *Unde; non ſufficit fides de Deo ut Remuneratore naturali, ſeu remunerante bona opera per bona temporalia hujus vitæ; vg. Sanitatem, divitias, honores &c.*

II. Debemus explicitè credere: *Deum eſſe Trinum in Perſonis, & unum in eſſentia;* juxta illud: Matth: 28. *docete omnes gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris &c.*

III. Debemus explicitè credere: *Filium Dei eſſe incarnatum,* ut Joan: 17. *hæc eſt vita æterna, ut credant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* IV.



IV. Debemus explicitè credere: *Christi passionem, Mortem, & Resurrectionem.*

Qui articuli sunt credendi necessitate 162.
præcepti Divini, & Ecclesiæ? ℟. Symbolum Apostolicum; septem Sacramenta, & omnia illa, quæ Sancta Ecclesia proponit ad credendum. V. n. 757. IV.

Præceptum fidei, quando per se obligat, 163.
ut Catholicus eliciat actum fidei? ℟. I. In primo instanti usûs rationis morali, quando homo in aliqua fidei veritate sufficienter est instructus. II. Sæpiùs, debet elicere per decursum vitæ. III. Probabiliùs in articulo mortis. *Ita Wigandt.*

Præceptum fidei, quando obligat per ac- 164.
cidens? ℟. I. Quando quis tenetur elicere contritionem. II. Quando quis suscipit Sacramenta. III. In urgenti tentatione, quando quis, illam non potest superare sine actu fidei.

An est idē: credere in Deū, credere Deo, cre- 165.
dere Deum? ℟. non est idem, ita S. Aug: *Ratio*, quia: *Credere* [ornament] *Deum*; est credere Deum esse. *Credere Deo*, est credere vera esse omnia illa, quæ DEUS revelat. *Credere in Deum*; est credendo amare Deum, illi adhærere, & membris ejus incorporari.

Infantes baptizati an credunt? ℟. non 166.
credunt actu, sed habent fidei habitum; quia in Baptismo recipiunt fidem habitualem simul cum gratia sanctificante. *Instantia*; Infantes ha-

habent animam rationalem, & sunt rationales, tamen non ratiocinantur.

167. Quot sunt vitia opposita Fidei Divinæ. ℟. sex: *Infidelitas Negativa*, *Infidelitas Positiva*, *Paganismus*, *Judaismus*, *Apostasia*, *Hærèsis*.

CAPUT III.

De Spe Theologica.

168. *Quid est spes Divina, seu Theologica.* ℟. *Habitualis potest describi sic:* est virtus Theologica, inclinans voluntatem ad eliciendum efficax desiderium, & expectationem futuræ beatitudinis auxiliantibûs gratiîs Divinîs. *Spes actualis*, est ipse actus desiderii efficacis futuræ beatitudinis; quæ licèt obtentu sit ardua, & difficilis, Divinô tamen auxiliô, est assequibilis.

Actus spei; in praxi potest sic elici: *Spero auxiliante gratiâ Dei ex meritis Christi, supernaturalem obtinere beatitudinem.*

169. *Spei Divinæ, quale est objectum materiale?* ℟. *objectum materiale primarium & principale spei*, est solus Deus, à nobis beatificè possidendus. *Objectum verò secundarium, & minùs principale*; sunt alia bona creata, conducentia ad consequendam æternam beatitudinem supernaturalem.

170. *Spei Divinæ quale est objectum formale?* ℟. objectum formale spei: *est Bonitas Dei respe-*



respectiva, & *fidelitas Dei in promissis*. *Ratio*; quia spes, cum sit virtus pertinens ad voluntatem, debet habere pro objecto formali bonitatem, idq; non aliam, quàm increatam (*aliàs non esset virtus Theologica*) sed non potest habere bonitatem increatam absolutam; *Ergo* habet pro objecto formali bonitatem respectivam. *Minor patet*, quia sola charitas habet pro objecto formali bonitatem absolutam. *Per bonitatem absolutam*, intelligitur, quatenus Deus est summè bonus secundùm se, & in se. *Per bonitatem respectivam*, intelligitur, quatenus Deus est nobis bonus, & quatenus est fidelissimus in promissis.

Præceptum spei quando obligat? ℟. eodem modô obligat, & eodem tempore, quô obligat Fides. *Uti dictum n.* 163. 164. 171.

Spes Theologica in quibus subjectis non datur? ℟. in sequentibus: I. Probabile est spem Theologicam non dari in Beatis. *Ita noster Henno, Durandus* &c. *Ratio*; *tum quia*, Fides non manet in patria, ergo neq; spes. *Consequentia patet*, quia spes fundatur in fide. *Tum quia*, objectum spei debet esse absens, arduum, & probabiliter esse futurum, sed nihil horum habetur in patria, ergo. 172.

II. Spes Theologica, non datur in formalibus infidelibus, scilicet, in illis, qui peccaverunt peccatô infidelitatis contra Fidem. *Ratio*; quia licet fides potest manere sine spe, tamen

spes

ſpes non poteſt manere ſine fide, quia ſpes fundatur in fide; *hæc enim eſt: Subſtantia ſperandarum rerum, ergo.*

III. Spes Theologica in damnatis, neq; manet quò ad actum, neq; quò ad habitum. *Ratio; tum quia,* damnati non poſſunt ſperare beatitudinem, quam certò ſciunt ſe nunquam conſecuturos: *ergo; tum quia,* damnati in ſuo miſerrimo ſtatu, nulla habent dona ſupernaturalia; ergo.

IV. Spes Theologica in animabus purgatorii manet. *Ratio,* quia animæ purgatorii poſſunt elicere varios actus ſpei circa beatitudinem, quæ reſpectu illarum eſt bonum abſens, arduum et futurum, *ergo.*

173. *Quot ſunt peccata oppoſita ſpei Theologicæ?* ℟. ſunt duo, ſcilicet: *Deſperatio,* eſt peccatum per exceſſum, & *præſumptio,* per defectum.

174. *Quid eſt deſperatio?* ℟. eſt fuga voluntatis, quâ quis refugit ſalutem æternam acquirere per media ordinaria; eò, quòd judicet illam obtentu eſſe ſibi impoſſibilem. *Hæc deſperatio, quando eſt conjuncta cum infidelitate,* tunc duplex eſt peccatum, quando verò non eſt conjuncta, tunc eſt ſimplex peccatum. *Nota. deſperatio, tunc eſt conjuncta cum infidelitate, quando deſperans pravô judiciô judicat, vg. quòd Deus non remittat peccata pœnitentibus, aut nolit peccatori dare*

re gratiam necessariam ad sui conversionem, secùs, si non habet tale judicium.

Quid est præsumptio? ℞. est actus voluntatis, quô bona supernaturalia inordinatè expectantur; *v.g. dum quis sperat obtinere remissionem peccatorum, sine pœnitentia; vel gloriam, sine meritis.* 175.

Observanda sunt hæc: Primò: Præsumptio, est propriè species peccati in Spiritum S. quia per illam tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritûs S. per quod homo avocatur à peccato.

Secundò: Præsumens potest peccare multipliciter. I. *Potest peccare præsumptione Pelagianorum*; qui præsumebant obtineri gloriam, propriis viribûs, & per opera naturalia. II. *Potest peccare, præsumptione Lutheranorum*; qui sperant à Deo gloriam sine bonis meritis, & tale peccatum est *2plex*: peccatum præsumptionis, & infidelitatis. III. *Potest peccare tantùm peccatô præsumptionis*; qui fidendo Divinæ gratiæ, differt pœnitentiam usq; ad finem vitæ. IV. *qui mortaliter peccat cum spe veniæ*, duo committit peccata; *unum, ex præsumptione; aliud in illa materia, in qua peccat.*

CAPUT IV.

De Charitate Theologica.

Quid est Charitas Divina? ℞. est virtus 176.

Theo-



Theologica, per quam diligimus Deum tamquam ſummum bonum propter ſe, & proximum, propter Deum.

177. *Charitas quò differt à fide, & ſpe?* ℟. *differt à fide*; quia fides reſpicit Deum, *ut veracem. Differt à ſpe*; quia ſpes reſpicit Deum, *ut bonum nobis*; Charitas verò reſpicit Deum, *ut bonum in ſe.*

178. *Charitatis, quale eſt objectum materiale?* ℟. objectum *primarium* eſt ſolus Deus. *Secundarium*, eſt omnis creatura rationalis; *ſcilicet: Angeli & homines capaces beatitudinis.*

179. *Charitatis quale eſt objectum formale?* ℟. eſt bonitas Dei abſoluta, quâ Deus eſt in ſe bonus, & in omni genere perfectiſſimus. *V. n.* 142.

180. ~~[illegible]~~ Præceptum *Charitatis quando obligat?* ℟. eôdem modô obligat, quô obligat ſpes & fides. *V. n.* 163. 164.

181. *Quomodo Deus diligendus eſt?* ℟. diligendus eſt *ſuper omnia appretiativè*; id eſt: debemus Deum præponere omnibus rebus creatis, nō tantùm affectu, ſed etiā effectu ſi caſus occurrat. *Item*, debemus ita amare, ut ſimus parati omnia perdere, quàm Deum, & ejus amicitiam.

182. *Quod præcipuum indicium eſt Charitatis noſtræ erga Deum?* ℟. obſervatio mandatorum DEI, juxta illud *Joan:* 14. *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.*

Præ-



Præceptum, an obligat, ut proximum diligamus non tantùm actu internô, sed etiam externô? ℟. defacto obligat; *juxta illud: Diliges Proximũ tuum sicut te ipsum.* Unde non satisfacit præcepto, qui diligit proximũ per solos actus internos. *Wigandt in Comp: c.6.* 183.

Præceptum, an obligat, ut diligamus inimicos? ℟. *obligat.* Unde vi præcepti Divini *tenemur inimicos diligere, non tantùm negativè*, id est: non habendo illos odiô; *sed etiam positivè*, juxta illud: *diligite inimicos vestros. Plura apud Casistas.* 184.


Qui sunt actus Charitatis? ℟. sunt sequentes: I. Correctio fraterna. II. Eleemosyna. III. Opera misericordiæ, tam spiritualia, quàm corporalia; *ut mox infra.* 185.

De Fraterna Correctione.

Quid est Fraterna correctio? ℟. Est admonitio ex virtute charitatis procedens, quâ quis curam adhibet, revocare proximum à peccato, in quod est lapsus. 186.

An datur præceptum fraternæ correctionis? ℟. Datur præceptum Divinum positivum latum à Christo Dominò. *Matth.* 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Ratio*; quia, ex charitate obligamur, ut succurramus proximo, quò ad corporalem miseriam; Ergo similiter, quò ad spiritualem. 187.

Quæ conditiones requiruntur, ad faciendam 188.



dam fraternam correctionem? ℞. Sequentes: I. Requiritur certa notitia de peccato mortali, & debet esse periculum relabendi, aut non resurgendi. *Unde*, non sufficit sola suspicio, vel dubium, ne forte proximus temerè confundatur. II. Requiritur, ut sit spes emendationis; quia emendatio, est finis fraternæ correctionis. III. Requiritur opportunitas tẽporis; quia aliquãdo correctio differtur utiliùs, ut postea sit fructuosior. IV. Requiritur commoditas corrigentis; quia præceptum correctionis non obligat, ut ad illam quis teneatur cum gravi periculo, & suo damno; secùs tamen in extrema, & gravissima necessitate; *vg.* Si hæresis in populo disseminetur; si graviter Religio Christiana periclitetur &c. V. Requiritur opportunitas loci, & personarum; id est: quando peccator, exarsit irâ, tunc nil efficit admonitio, vel si in præsentia aliorum exacerbetur, vel si magis idonea persona expectetur; differenda est correctio &c.

189. *Qui obligantur ad fraternam correctionem?* ℞. Omnes obligantur & non tantùm superiores. *Ratio*; quia talis est obligatio juris naturæ, & juris Divini. *Unde totô cœlô errant*, qui credunt fraternam correctionem pertinere ad solos superiores. II. Prælati, & superiores magis obligantur. *Ratio*, quia omnis Prælatus 2plicem personam agit: *Unam*, ut est particularis; *Alteram*, *ut est persona commu-*

munis, & ſic pollet 3plici correctione: *Fraternâ*, ut frater, *Judiciali*, ut Judex, & ſcelerum vindex, quò ad forum externum; *Et correctione paternâ*, ut Pater, quò ad forum internum. III. Inferior poteſt, & tenetur fraternè corrigere ſeniorem, ſeu Prælatum, ſecretò, modeſtè, & reverenter; *ita definitur cap: ſicut: 2. 9. 7.*

190. *Quod peccatum committit, qui non facit correctionem Fraternam?* ℞. committit ex genere ſuo mortale; quia ſub mortali tenemur ſuccurrere proximo extremè, & graviter corporaliter indigenti; Ergo multò magis ſpiritualiter indigenti.

De Eleemoſyna.

191. *Quid eſt eleemoſyna?* ℞. Eſt opus ex miſericordia proveniens, quô ſubvenitur indigentiæ alicujus.

192. *An datur præceptum eleemoſynæ corporalis?* ℞. (*ex Vigandt.*) datur 2*plex* præceptum: I. *Præceptum naturale*; quia recta ratio dictat, amandum eſſe proximum, conſequenter illi ſuccurrendum. II. *Præceptum poſitivum*; quia immiſericordes ſunt in periculo damnationis juxta illud: *Ite maledicti &c.*

193. *Quotuplex eſt neceſſitas?* ℞. 3*plex*: Extrema, gravis, & communis.

I. *Neceſſitas extrema*, eſt illa, in qua quis poſitus eſt in probabili periculo gravis morbi,

vel mortis, nisi subveniatur. *Ad hanc reducitur necessitas quasi extrema, quæ est proxima probabili periculo; quatenus ita est urgentissima, ut si non subveniatur, constituatur quis in periculo gravis morbi, vel mortis.*

II. *Necessitas gravis*; in qua quis positus patitur talia incommoda, quæ reddant vitam nimis molestam, & miseram.

III. *Necessitas communis*; in qua, quis positus incommoda patitur, sed non talia, quæ reddunt ei vitam nimis molestam & miseram; *uti sunt pauperes, qui emendicatô vivunt pane.*

194. *Quotuplex est bonum superfluum?* ℟. Est 2plex. I. *Bonum superfluum statui*; est illud, quod superest, demptîs necessariîs expensîs pro decentia, & conditione sui statûs. II. *Bonum superfluum naturæ*; est illud, quod superest demptîs expensîs necessariîs ad vitam propriam, & propriæ familiæ sustentandam.

195. *Quotuplex est eleemosyna sufficiens?* ℟. Est 2plex: I. *Eleemosyna sufficiens ex parte recipientis*; fit tunc, quando dans, tantùm dat, quantùm exigit præsens necessitas, & angustia. II. *Eleemosyna sufficiens ex parte dantis*; quando dans parùm habens, tantùm dat, quantùm valet, juxta suam conditionem.

196. *Quot sunt effectus eleemosynæ?* ℟. Sunt septem: I. Augmentatio temporalium. II. Remissio

missio peccatorum. III. Augmentatio, & collatio gratiæ. IV. Eleemosyna, apud Deum multos Intercessores & amicos acquirit; id est: ipsos pauperes. Et datô, quòd pauperes mali essent, & peccatores; adhuc ipsa Eleemosyna orat ad Deum. V. Eleemosyna homini præparat viam ad Cœlum, & patefacit ei ostium paradisi. *Eccl.* 15. VI. Hominem ad bonum finem perducit, & comitatur morientem, quando omnes amici deserunt. VII. Eleemosyna tandem præmium æternum acquirit.

197. *Ex quali necessitate oritur obligatio ad succurrendum proximo?* ℟. *Observanda sunt hæc: I. Si sit necessitas, & indigentia extrema, vel quasi extrema;* tenetur quilibet subvenire, non quidem ex necessariis vitæ suæ & suorum; sed ex superfluis, quamvis hæc sint necessaria ad decentiam sui statûs II. *Si sit necessitas gravis;* tenetur etiam quilibet indigenti subvenire ex superfluis statûs. *Proinde; Medici, Causidici, Pharmacopolæ, & his similes tenentur subvenire pauperi non habenti, unde solvat, saltē præsenti, nō verò absenti.* III. *Si sit necessitas communis,* dispensatio superfluorum relinquitur arbitrio uniuscujusq;. *Interim, divites peccarent,* si nullam unquam Eleemosynam Pauperi tribuant in his necessitatibus communibus. *De aliis, qui non possunt dare eleemosynam, alia est ratio, uti sunt: uxores, filii, servi, Religio-*



ſi &c. Plura apud Caſiſtas.

198. *Quotuplicia ſunt opera miſericordiæ?* ℟. 2plicia: *Corporalia, & Spiritualia.*

Opera miſericordiæ corporalia, ſunt ſeptem: Paſcere eſurientem, ſitientem potare, veſtire nudum, itinerantem recolligere, viſitare infirmum, redimere captivum, ſepelire mortuum.

Opera miſericordiæ ſpiritualia ſimiliter ſeptem: Docere ignorantes, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccatorem, remittere offendenti, ſupportare defectus proximi oneroſos, orare pro ſanitate & ſalute proximi.

199. *Omiſſio operum miſericordiæ, quando eſt peccaminoſa?* ℟. Ut ſit peccatum mortale, duo requiruntur I. *Ut ex parte facientis ſit potentia ſeu poteſtas;* id eſt: ut non ſit aliqua impotentia. II. *Requiritur, ut ex parte indigentis, ſit magna neceſſitas;* multò magis, ſi ſit extrema, vel quaſi extrema.

200. *Quæ ſunt vitia charitati oppoſita?* ℟. Sunt ſequentia: *Odium, diſcordia, contentio, ſcandalum, ſchisma, duellum, bellum, rixa, & ſeditio, de quibus conſule Caſiſtas.*

CAPUT V.

De Virtutibus Moralibus.

201. *Quid eſt virtus moralis?* ℟. *Virtus moralis habitualis ſic definitur: eſt habitus inclinans homi-*

hominem ad actus bonos, & honestos, in genere moris; per quos actus homo fit bonus, laudabilis, & dignus aliquô præmiô. *Virtus moralis actualis*: est ipse actus bonus, & honestus in genere moris, proveniens ex virtute habituali.

202. *Virtus moralis an est propriè virtus?* ℟. Virtus moralis est simpliciter & propriè virtus; ideo enim dicitur: *moralis*, quia est institutrix morum, & honestarum humanarum actionum in genere moris. *Unde aliæ virtutes, uti sunt intellectuales*, non sunt propriè virtutes, sed tantùm analogicè; quia creaturam rationalem præcisè secundùm se, non reddunt perfectam in genere moris.

203. *Quot sunt virtutes morales?* ℟. Virtutes morales præstantiores, (*ad quas omnes aliæ virtutes reducuntur*,) sunt tantùm quatuor Cardinales: *ut dicetur n.* 208. *Dicitur*: *virtutes morales præstantiores*; quia omnes aliæ virtutes morales reducuntur ad quatuor Cardinales propter quandam cum eis connexionem; uti sunt: *Religio, pietas, castitas, patientia, humilitas, sobrietas, liberalitas, temperantia, &c.* quæ virtutes dicuntur *secundariæ*, ex eo, quòd sint quasi consecutivæ ad virtutes cardinales, & quodammodo ex illis, tanquam ex fontibus fluunt, & emanant.

204. *Virtutes morales an consistunt in medio?* ℟. Defactò omnes virtutes morales consistunt



in medio, idq; ideo, quia ita tenent medium, ut neq; inclinent ad excessum, neq; ad defectum *vg. Fortitudo*, mediat inter timorem, & audaciam, quia vincit timorem, & aggreditur moderatè difficilia. *Liberalitas*, inter avaritiam, & prodigalitatem &c.

CAPUT VI.

De Virtutibus Cardinalibus.

205. *Cardinales virtutes, quid sunt?* ℟. Sunt virtutes morales præstantiores, ad quas omnes virtutes morales reducuntur.

206. *Quare dicuntur cardinales?* ℟. I. Ex eo, quia sicut ostium circa cardinem; ita tota moralis honestas circa illas versatur. II. Quia virtutes cardinales per modum cardinis claudunt ostium Diabolo, & aperiunt Christo; ducunt nos ad Deum, relinquendo malum, & conservando bonum.

207. *Virtutes Cardinales in qua ratione excellunt alias virtutes morales?* ℟. Ex eo, quia juvant hominem contra majora impedimenta virtutum; impedimenta autem sunt hæc: *Ignorantia agendorum, delectabilia, terribilia, & amor sui inordinatus.* Nimirum *prudentia*, quæ agenda ostendit, est contra ignorantiam; *temperantia*; quæ mitigat delectationes, est contra delectabilia; *Fortitudo*; quæ corroborat animum, ne terroribûs succumbat, est contra terribilia; *Justitia*; quæ inclinat

cli-

clinat rectè se habere ad alterum, est contra amorem sui ipsius inordinatum.

208. *Virtutes Cardinales quot sunt?* ℞. Sunt quatuor: *Prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo.*

209. *Prudentia quid est?* ℞. Est virtus cardinalis, quæ docet, quid sit fugiendum, & quid eligendum secundùm rectam rationem. *Prudentia*, consistit in hoc; ut quisq; sciat inveni-re modum, secundùm rectam rationem in his, quæ sunt ab homine facienda; nimirum, ut quilibet sciat se ipsum, & alios regere. *Unde*, prudentia perficit intellectum ad dirigendam totam vitam humanam.

210. *Justitia quid est?* ℞. *Vide de hoc infra n.* 241. *Justitia* consistit in hoc, ut servetur æqualitas inter homines communicantes adinvicem, quantùm ad res exteriores, quibûs utuntur. *Unde*, Justitia perficit voluntatem ad reddendum unicuiq;, quod suum est. *De justitia, cum sint speciales difficultates, specialiter de illa, dicemus cap.* 8. *per totum.*

211. *Temperantia quid est?* ℞. Est virtus cardinalis, per quam refrenatur cupiditas horum, quæ temporaliter delectant.

Temperantia, consistit in repressione passionum brutalium, præcipuè in moderatione delectationum tactûs & gustûs, id est: venereorum & cibariorum. *Unde, temperantia perficit concupiscentiam, ad refrenandas, &* re-



regulandas passiones temporales.

212. *Fortitudo quid est?* ℟. Est virtus cardinalis firmans & corroborans animam, contra molestias sæculi.

Fortitudo, consistit in hoc; quòd mens hominis sit firma ad toleranda adversa; & ne resiliat ab eo, quod faciendum ratio dictat, propter aliquam difficultatem, quæ incumbit.

CAPUT VII.

8.

De Religione.

213. *Quid est Religio?* ℟. Est virtus moralis, quæ inclinat hominem ad reddendum debitum cultum, & honorem Deo, tanquam Domino, & omnium Creatori.

214. *Quid intelligitur per cultum & honorem?* ℟. Intelliguntur actus interni, & externi testificantes Divinam excellentiam, & majestatem.

215. *Actus interni Religionis quot sunt?* ℟. Sunt duo: Oratio, & devotio. *Oratio*, est petitio decentium à Deo præviâ intentione, & cum elevatione cordis ad Deum. *Devotio*, est prompta, & parata voluntas, exequendi illa, quæ pertinent ad cultum Divinum.

216. *Actus externi Religionis, quot sunt?* ℟. Sunt sequentes: *Adoratio, Sacrificium, oblatio, Decimæ, Votum, juramentum &c. Adoratio* est cultus externus Religionis, quô per convenientem corporis gestum, protestamur



mur noſtram ſubjectionem erga Deum, tanquàm Supremum Dominum. *Sacrificium*, eſt actus externus religionis, quô ad recognoſcendam Divinam Majeſtatem, & ad proteſtandam noſtram erga eum ſervitutem, res aliqua certô ritu, aut ceremoniâ Deo offertur, immolatur, & deſtruitur. *Plura de Sacrificio v. n.* 427. *Votum*, eſt promiſſio Deo facta de bono poſſibili, & meliori. *De voto ſpecialiter v. n.* 304. *Juramentum*, eſt actus religionis, quô quis aſſumit Deum in teſtem. *Plura n.* 220.

217. *Quæ peccata opponuntur religioni?* ℟. *Peccatum per exceſſum*, opponitur religioni: *Superſtitio*, & hæc eſt 5plex: *Idololatria*, *Divinatio*, *vana obſervantia*, *magia*, & *maleficium*. *Peccatum per defectum*, opponitur: *Irreligioſitas*; Et hujus ſunt ſpecies hæ: *Sacrilegium*, *Simonia*, *Perjurium*, *Blaſphemia*, *Tentatio Dei*, & *voti fractio*.

9 De Adoratione, ſeu Cultu.

218. *Quotuplex eſt cultus?* ℟. *Eſt* 3*plex*. I. *Cultus latriæ*, qui competit ſoli Deo. II. *Cultus duliæ*, qui exhibetur Sanctis. III. *Cultus hyperduliæ*, qui exhibetur Beatiſſimæ Virgini.

219. *Crux, in qua Chriſtus pependit, quô cultu adoratur?* ℟. (*ex Wigandt.*) adoratur cultu latriæ, idq; ex duplici titulo. *Primò*: ratione contactûs membrorum ejus, ex quâ eſt ſanctificata, & ejus Sangvine perfuſa. *Secundò*:

dò: in quantùm eſt Imago Chriſti, in ea extenſi. II. Eodem cultu latriæ adorantur: *Clavi, ſpinæ, lancea, indumenta*, & Sacra ejus tabernacula; uti ſunt: *Præſepe, ſpelunca, & ſimilia*. III. Non ſpectat ad hunc cultum; *Aſina*, cui Chriſtus inſedebat; neq; *terra*, quam calcavit &c. *Ratio*; quia hæc poſt contactum Chriſti, manſerunt pervia uſibus communibus. *Item, neq; os Judæ, neq; manus infligens Chriſto alapam. Ratio*, quia hæc indignè Chriſtum tetigerunt. IV. Quamvis Crux ratione contactûs adoretur cultu latriæ, non adoratur tamen eodem cultu Beatiſſima Virgo. *Ratio ex S. Thoma*; quia Crux, ſpinæ, & aliæ res inanimatæ ſecundùm ſe, nullius ſunt capaces venerationis; ideo in earum adoratione nullum eſt periculum exiſtimandi, quòd adorentur ratione ſui; Jam verò Beatiſſima Virgo ſecundùm ſe, eſt capax cultûs Hyperduliæ, cum ſit rationalis creatura, & ſic facilè poſſet exiſtimari, quòd adoretur ratione ſui, quod periculū erroris omnino vitandū eſt.

V. *Cultus adhuc eſt 2plex*: Cultus abſolutus, & reſpectivus.

Cultus abſolutus, quô adoratur res propter excellentiam propriam, quam habet.

Cultus reſpectivus; eſt ille, quô adoratur res propter excellentiam alterius rei, quam repræſentat, vel ad quam reſpectum habet, conjunctionem, & habitudinem. *Et hæc adora-*

tio

tio seu Cultus Respectivus exhibetur Sacris Imaginibus, &c.

De Juramento.

220. *Quid est Juramentum?* ℞. Est invocatio Dei tanquam primæ, & infallibilis veritatis, in testem alicujus rei.

221. *Ut juramentum sit licitum, quot conditiones requiruntur?* ℞. tres: I. *Requiritur Judicium*, scilicet, ut juramentum fiat ex necessitate, vel ex causa gravi, aut ex utilitate. II. *Ut sit veritas*; scilicet, ut res sit vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera. III. *Ut sit justitia*; scilicet, ut quod juratur, sit res licita, & honesta. *Unde vg. si desinit veritas, est peccatum mortale, & dicitur: Perjurium. Perjurium enim est: juramentum, cui deficit veritas.*

222. *Quotuplex est juramentum?* ℞. 5plex I. *Invocatorium*, quô Deus invocatur in testem. II. *Imprecatorium, vel execratorium*; quô Deus non tantùm vocatur ut Testis, sed etiam, ut Judex falsitatis; *vg.* si quis dicat: *damnet me Deus, si non sit verum.* III. *Assertorium*, quô asseritur veritas præsens, vel præterita. IV. *Promissorium*, quô promittitur aliquid futurum. V. *Comminatorium*, quô alteri malum comminamur, *vg.* per Deum, te verberabo &c. *In hoc juramento, duæ sunt malitiæ specie distinctæ, in confessione*

expli-



explicandæ; una contra charitatem, qui vult alteri malum; altera contra reverentiam Dei, qui malum abhorret.

223. *Perjurium formale quale est peccatum?* ℟. Est peccatum mortale, neq; datur parvitas materiæ in perjurio formali. *Ratio*, quia Deum facere testem mendacii, semper est injuria gravissima Deo irrogata; potest tamen esse veniale ex indeliberatione.

5. De Horis Canonicis.

224. *Quid sunt Horæ Canonicæ?* ℟. Nihil aliud sunt: *nisi Officium Divinum, certâ horâ diei, vocaliter persolvendum, ab Ecclesiasticis Personis;* vel sic: *sunt illæ preces, quæ ex lege Canonica præscriptæ, certîs horis recitantur.*

225. *Quot sunt Horæ Canonicæ?* ℟. sunt septem: *Matutinum, & Laudes, unam horam constituunt;* quia sub uno principio & fine recitantur. *Tandem*, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. *Hæ septem Horæ, significant septem principaliora mysteria Passionis Christi, contenta, in sequentibus carminibus:*

Matutina ligat Christũ, qui crimina purgat;
Prima replet sputis; dat causã Tertia mortis;
Sexta Cruci nectit; Lat9 ej9 Nona bipertit;
Vespera deponit; tumulô Completa reponit.

226. *Quæ Personæ Ecclesiasticæ obligantur ad Ho-*



Horas Canonicas? ℞. I. Obligantur omnes initiati majoribûs ordinibûs, licèt non habeant beneficium Ecclesiasticum. II. Obligantur omnes, qui habent beneficium pro honesta sustentatione sufficiens, quamvis non essent Presbyteri, & tantùm initiati minoribûs ordinibûs III. Obligantur omnes Religiosi professi, utriusq; sexûs, qui ad chorum sunt deputati.

227. *Omittens Horas Canonicas, quomodo peccat?* ℞. si omittat notabilem partem, peccat mortaliter, & si sit beneficiatus tenetur, *pro rata*, ad restitutionem. *Iste terminus pro rata;* sic explicatur: *qui omisit matutinas horas;* tenetur restituere mediam partem fructuum. *Qui omisit tantùm, Primam vel Tertiam;* tenetur restituere partem fructuum. *Qui omisit omnes Horas unius diei;* nil lucratur, sed tenetur restituere omnes fructus hujus Diei. *Restitutio autem debet fieri;* vel pauperibus, vel fabricis Ecclesiæ; ubi beneficia sunt sita. *Plura de restitutione, vide apud Casistas.* Casuistas

228. *Horæ Canonicæ quomodo sunt recitandæ?* ℞. *Debent recitari vocaliter & integrè.* *Item*, debent recitari studiosè, & devotè, id est: ne verba omittantur, syncopentur, truncentur, vel mutilentur, absorbendo syllabas. *Item*, debent recitari, sine interruptione &c.

229. *Ad recitandas Horas Canonicas an requiritur intentio?* ℞. Omnino requiritur. *Ratio est; tum quia*, oratio Horarum Canonica-

nicarum debet esse actus humanus, sed sine intentione non esset talis, *Ergo. Tum quia*, recitatio horarum sine intentione, est actus purè indifferens; Ecclesia autem præcipit non actus indifferentes, sed actus bonos & meritorios, *Ergo.*

Observanda sunt hæc: I. Ad recitandas Horas Canonicas requiritur intentio saltem virtualis, non requiritur autem, ut semper sit actualis. *Ratio primæ partis*; quia virtualis, est ipsa intentio actualis, in virtute relicta existens. *Ratio secundæ partis*; quia ut intentio sit semper actualis, moraliter ferè est impossibile. II. Intentio hæc debet esse deliberata, saltem implicita, & confusa voluntas orandi Deum, laudandi &c. *Unde non satisfacit ille, si quis recitaret horas, animô studendi, vel recreandi. Plura de intentione v. n.* 371.

230. *Ad recitandas Horas Canonicas, an requiritur attentio?* ℟. Omnino requiritur. *Ratio*; quia oratio, est mentis elevatio ad Deum, sed mentis elevatio non potest esse, nisi fiat attentio ad illa, quæ lingva loquitur, *Ergo. Unde certum est*, quòd attentio requiratur saltem externa. *Attentio autem interna*, probabile est, quòd non requiratur sub mortali; curanda tamen est, quantùm fieri potest. *In simili de attentione, v. n.* 381.

231. *Quæ causæ excusant ab Horis Canonicis?* ℟. sequentes:

I. *Excu-*



I. *Excusat impotentia*, non tantùm physica, sed etiam moralis, sive oriatur ex obligatione naturali, sive ex infirmitate, sive ex carentia Breviarii, sive ex ignorantia legis, aut facti.

II. *Excusat Charitas*; tam propria, quam proximi; *vg*. Si subitò esset dicenda concio; si assistendum moribundo; si sit multitudo pœnitentium; &c.

III. *Excusat metus*; quando quis ex recitatione Breviarii, timet probabiliter notabile damnum in bonis propriis, vel alienis, &c.

IV. *Excusat dispensatio*; quæ potest fieri à summo Pontifice &c.

232. *Quotuplex est ritus recitandi Horas Canonicas? (aut celebrandi Missam?)* ℟. Est 3*plex*: I. Sub ritu duplici; *Dicitur: Duplex ex eo*, quia eo die duplicantur Antiphonæ Psalmorum. II. *Sub ritu semiduplici*; *Dicitur: semiduplex*, ex eo, quia in aliquibus convenit cum duplici, in aliquibus disconvenit; præsertim, quòd Antiphonæ non duplicentur. III. *Sub ritu simplici*; *dicitur simplex*, quia notabiliter habet ritum diversum ab utroq; præsertim, quia in Matutino & Vesperis ex majori parte sequitur ritum ferialis Officii, quem ritum non servant Festa duplicia, & semiduplicia.

CA-

❧)(*)(☙

CAPUT VIII.

De Jure, & Justitia.

SECTIO I.

De Jure sumpto pro lege.

233. *Quid est jus sumptum pro lege?* ℞. Ita definitur, sicut lex *n.* 31.

234. *Jus sumptum pro lege, quotuplex est?* ℞. Est 3plex: Naturale, Positivum, & Jus Gentium.

Jus Naturale, quod inditum est ex natura rerum.

Jus Positivum, quod constitutum est â libera ordinatione alicujus potestatis.

Jus Gentium, quod constitutum est communi judiciò omnium nationum & populorum; *ut dictum est n.* 36.

De Jure Justitiali, seu sumpto pro justo.

235. *Jus, seu justum, quid est?* ℞. Est æqualitas debita inter obligationem unius, & jus activum alterius. *Jus justitiale ex eo dicitur*: quia derivatur à justo; et tale jus est proprium, & rigorosum.

236. *Quotuplex est jus justitiale?* ℞. Est 2plex: Activum, & Passivum.

Jus Activum, est legitima potestas disponendi circa aliquid.

Jus



Jus Passivum est debitum commensuratum juri activo alterius; *vg.* quando Petrus debet Paulo centum florenos; *Jus activum est in Paulo*; quia habet potestatem exigendi centum florenos à Petro; Jam verò, *jus passivum est in Petro*, seu est ipsum debitum in centum florenis, quos obligatur Petrus reddere Paulo.

237. *Jus adhuc quotuplex est?* ℞. Est 3plex: Jus proprietatis; jus jurisdictionis, & jus mixtum.

I. *Jus Proprietatis*; est legitima potestas disponendi de re aliqua, tanquam suâ, in proprium commodum.

II. *Jus Jurisdictionis*; est legitima potestas gubernandi proprios subditos, ordinata primariò, in commodum suorum subditorum. *Actus jurisdictionis sunt sequentes: præcipere, prohibere, permittere, judicare, punire, & præmiare &c.*

III. *Jus mixtum, ordinariè est illud*; quod participat ex utroq; jure, proprietatis & jurisdictionis. *Et tale jus est 3plex: Paternū*, quod Pater habet in filios. *Æconomicum*, quod habet Maritus in uxorem. *Herile*, quod habet Dominus in servum, & mancipium. *Jus mixtum est secundùm quid; quia in illo non est perfecta, & omnimoda alteritas; filius enim est quadam pars Parentis, servus est aliquid Domini sui, quia est instrumentum ejus, &c.*

238. *Jus proprietatis, quid essentialiter importat?* ℟. Essentialiter importat tria, scilicet: *Titulum, favorem legis, & liberam acceptationem favoris legis. Titulus* est ratio specialis, propter quam lex favet alicui, in ordine ad habendam aliquam rem, tanquam suam. *Et tales tituli possunt esse plurimi: titulus emptionis, donationis, successionis, promissionis, venditionis &c. Favor legis*, est lex aliqua concedens, vel saltem permittens, seu non prohibens rem esse illius, qui ad illam habet justum titulum. *Acceptatio favoris legis*, est libera voluntatis acceptatio ad habendam illam rem, ad quam habet justum titulum, & legem sibi faventem.

239. *Jus proprietatis quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Jus in re, & jus ad rem. *Jus in re*, est jus ad rem illam, quæ actu est tradita, & actu possidetur. *Jus ad rē*, est jus ad rem illam, quæ necdum est tradita, & necdum possidetur. *Unde, jus ad rem, aliter dicitur jus personale imperfectum, debile & inchoatum; quia per illud tantùm persona est obligata, ut rem extradat; defactò tamen res necdum possidetur. Econtra, jus in re, est jus reale, completum, & perfectum; quia supponit acquisitum dominium rei, à quo fortè non distingvitur.*

240. *Juris Justitialis quot sunt species?* ℟. Principalis & primaria species est: *Dominium.*

Reli-



Reliquæ verò species sunt imperfectæ, & secundariæ hæ: I. *Usus*; est jus utendi re aliena salvâ rei substantiâ. II. *Usus fructûs*; est jus utendi & fruendi alienâ re, salvâ rei substantiâ. III. Emphiteusis. IV. Feudum. V. Superficies. VI. Servitus. VII. Possessio; *de quibus vide apud Juristas. Dominium verò*, potest describi sic: *est facultas utendi re suâ, ad quemlibet usum, lege permissum.*

SECTIO II.

De Justitia Virtute Cardinali.

241. *Quid est Justitia Cardinalis?* ℞. Est virtus Cardinalis redditiva æqualitatis debitæ juri alieno, vel sic: *est constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendum. Dicitur: jus suum*; per quod intelligitur jus passivum, id est: debitum, quôcunq; titulô contractum. *Dicitur: cuiq; tribuendum*; per quod intelligitur tum alteritas; tum inclinatio ad agendum, quòd justum est; *vel conservando jus*, si necdum est læsum; *vel reparando, per restitutionem*; si jam est læsum.

242. *Justitia quotuplex est?* ℞. Potest considerari, 4*plex*: Legalis, commutativa, distributiva, & vindicativa.

Justitia legalis, est illa, quæ tribuit jus suum communitati. *Hæc justitia legalis est, justitia partis ad totum.*

Justitia commutativa; est illa, quæ tribuit

buit jus suum secundùm æqualitatem arithmeticam inter rem & rem. *Hæc justitia, est partis ad partem. Item*, Justitia commutativa, respicit æqualitatem cum jure proprietatis, quod jus est rigorosum. *vg.* qui debet 100. florenos, debet totidem reddere creditori.

Justitia distributiva; est illa, quæ tribuit jus suum secundùm æqualitatem geometricam, distribuendo bona communia Reipublicæ, juxta merita personarum. *Hæc justitia, est totius ad partem*. Per bona communia Reipublicæ, intelliguntur: *Pecuniæ, præmia, honores, dignitates, & officia publica, sive civilia, sive Ecclesiastica &c.*

Justitia vindicativa; est virtus, quâ Superior punit subditum debitâ pœnâ pro delictis.

SECTIO III.

De Restitutione.

243. *Quid est Restitutio?* ℞. Est actus justitiæ commutativæ, quô damnum alteri illatum compensatur ad æqualitatem.

244. *Restitutio quomodo est necessaria ad salutem?* ℞. Hæc esse resolvenda: I. Restitutio est necessaria necessitate præcepti, quia secundùm S. Augustinum: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* II. Restitutio non est necessaria necessitate medii. *Ratio*; quia, qui non est potens ad restitutionem, potest salvari absq; reali restitutione.

245. *Quot sunt radices restitutionis?* ℟. Sunt tres:

I. *Res accepta*; quando quis possidet rem alienam bonâ fide.

II. *Res injustè accepta*; quando quis possidet rem alienam malâ fide.

III. *Damnum illatum*; quando quis, aliquod intulit damnum.

Nota: Possessor bonæ fidei; est ille, qui retinet rem alienam credens esse suam. *Possessor malæ fidei*; est ille, qui retinet rem alienam, sciens non esse suam.

246. *Quot sunt causæ cooperantes ad damnũ?* ℟. Sunt novem expressæ in his versibus:

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutꝰ, nõ obstans, nõ manifestãs.

Explicationem horum terminorum vide apud Casistas.

247. *Quô ordine prædicti debent restituere?* ℟. Ante omnes debet restituere causa principalis in facto, nisi res aliena in se apud alium extet, tunc ille tenetur primô locô. *Ratio*; quia res semper clamat suo Domino. *Secundô locô, Exequens*; tandem consequenter alii; *Consulens, consentiens, palpans seu adulator &c.*

248. *Prædicti cooperantes, an omnes tenentur ad totum damnum?* ℟. Si concurrerint ad totum damnum, tenentur ad totum damnũ, (*seu in solidum*;) non omnes quidem abso-

 lutè,

lutè, sed conditionatè, nempe in defectu sociorũ. *Qui autem solùm concurrerunt ad partem*; tenentur ad restituendã partem damni illati.

249. *Quæ causæ excusant à restitutione in bonis fortunæ?* ℟. Sunt plures: I. *Impotentia physica*; quando quis non habet, quod restituat. *Ratio*; quia ad impossibile nemo tenetur. II. *Impotentia moralis*, quando quis non potest restituere sine probabili periculo damni sui, vel suorum. III. *Necessitas extrema*; quia in hoc casu potest auferri res aliena sine peccato. IV. *Necessitas gravis sui, vel suorum*; nisi creditor in pari necessitate existat. V. Spontanea creditoris remissio. VI. Compensatio, vel (*ut Juristæ ajunt*,) Debiti & crediti inter se contributio. VII. Authoritas juris, vel judicii *&c.*

250. *In quibus bonis potest inferri injuria?* ℟. In sequentibus:

I. *In bonis animæ*; quæ possunt considerari duplicia: Naturalia, & supernaturalia: *v.g. Gratia, Intellectus, Judicium, scientia &c.*
II. *Potest inferri injuria in bonis corporis*; *v.g.* per mutilationem, homicidium, *&c.*
III. *Potest inferri injuria in bonis famæ & honoris*; *v.g.* per detractionem, per contumeliam, per convitium, *&c.*
IV. *Potest inferri injuria, in bonis fortunæ*; *v.g.* per furtum, per rapinam, per injustum contractum *&c.*



251. *Quotuplices sunt Fructus rei?* ℞. Sunt 3plices:

I. *Naturales fructus*; qui procedunt ex natura ipsius rei, nullô, aut vix ullô labore hominum concurrente; *vg. fœtus animalium, poma arborum, herbæ, &c.*

II. *Industriales fructus*; qui procedunt ex labore, & industria hominis; *vg. fructus ex mercatura &c.*

III. *Fructus mixti*; qui procedunt partim ex natura, partim ex industria, & labore. *vg. Segetes; fructus vinearum, oleum, lana, &c.*

Plura de restitutione, vide apud Casistas, qui fusè tractant de hac materia, summopere Confessariis necessaria.

TRACTATUS V.

De Gratia DEI.

CAPUT I.

De Natura & Divisione Gratiæ DEI.

252. *Quid est gratia supernaturalis ut sic:* ℞. Est Donum DEI supernaturale, gratuitò à DEO, nobis collatum, ad consequendam æternam beatitudinem.

253. *Quotuplex est Gratia supernaturalis?* ℞. Est 2plex: scilicet: *Gratia supernaturalis quò ad modum*; quæ ex natura sua & quò ad entitatem, est naturalis, non debetur tamen in his circumstantiis, *vg. restitutio visûs cœco &c.*

Gratia supernaturalis, quò ad substantiam? quæ ex natura sua est supernaturalis, & in omnibus circumstantiis est indebita naturæ creatæ, & creabili. *Et talis Gratia strictè, & rigorosè, est gratia;* vocaturq; *Gratia Theologica; de qua hîc loquimur.*

254. *Gratia adhuc quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Gratia gratìs data, & gratia gratum faciens.

Gratia gratis data; est illa, quæ datur à Deo extraordinariè, ad aliorum salutem, & utilitatem. *Et hæ gratiæ gratìs datæ, à S. Paulo* (1. *Cor.* 12.) numerantur novem: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ, secundùm eundem Spiritum; alteri fides, in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio Spirituum; alii genera lingvarum; alii interpretatio sermonum.*

Gratia gratum faciens; est illa, quæ datur hominibus ad consequendam propriam ipsius subjecti salutem, & utilitatem.

255. *Gratia gratum faciens quotuplex est?* ℟. Est 2*plex:* Gratia actualis, & habitualis, *de quibus seorsivè, in sequenti capite* 2*do,* & 3*tio.*

CAPUT II.

De Gratia Actuali Supernaturali.

256. *Quid est Gratia actualis?* ℟. Est gratia transiens, quæ datur per modum motûs alicujus ad exercendas virtutes supernaturales, vel sic: *est motus aliquis in anima divinitùs excitatus, in-*

vitans



vitans animam ad exercēdū, bonum opus super-naturale.

257. *Gratia supernaturalis actualis in quo consistit?* ℟. Cōsistit in Illuminationibus & illustrationibus intellectûs, & in piis affectionibus voluntatis indeliberatis. *Ita communiter omnes DD.*

258. *Gratia actualis, in qua potentia recipitur in intellectu, an in voluntate?* ℟. *Illustrationes & illuminationes*, recipiuntur in intellectu; *Piæ autem affectiones, recipiuntur in voluntate*; quæ affectiones sunt indeliberatæ, & fiunt à solo Deo in nobis, sine nobis.

Nota: dum dicitur: quòd gratiæ actuales fiant à solo Deo in nobis, sine nobis; non est iste sensus, ac si gratiæ actuales à nobis Physicè non producantur, sed tantùm intelligitur, quòd hæ gratiæ eliciantur sine nobis liberè operantibus.

259. *Gratia Actualis quotuplex est?* ℟. *Est 3plex*: Præveniens, Concomitans & subsequens.

Gratia Præveniens; est illa, *quæ in actu 1mo*, trahit & allicit voluntatem ad eliciendum consensum. *Hæc gratia aliter dicitur: Excitans.*

Gratia Concomitans; quæ simul cum voluntate influit in salutarem actum. *Hæc gratia aliter dicitur: cooperans, & efficax.*

Gratia subsequens; quæ consumat, & roborat voluntatem ad perseverandum in bono.

260. *Gratia actualis quotuplex adhuc est?* ℟. *Est 2plex*: Sufficiens, & efficax:

Gratia sufficiens; est gratia actualis supernaturalis,

lis, cum qua voluntas posset benè operari, si vellet; defactò tamen propter pravitatem suam, nunquam consentiet, neq; cooperabitur.

Gratia efficax; est gratia actualis supernaturalis, cum qua voluntas, & potest benè operari, & defactò infallibiliter operabitur.

Observanda sunt hæc: I. *Gratia efficax, quamvis infallibiliter infert operationem*; tamen non tollit libertatem. Rationes Theologi varias allegant, idq; diversas pro diversitate sententiarum. II. *Gratia efficax est simul sufficiens, eô ipsô*; quòd sortiatur suum effectum, secundùm illud: *Sufficit tibi gratia mea*; interim ex communi usu Theologorum; *illa Gratia dicitur*, *sufficiens tantùm*, *seu merè sufficiens*; quæ licèt quantùm ex se reduplicativè sit efficax quò ad virtutem suam operativam in actu primo sumptam; in actu tamen secundo est inefficax tantùm ex eo, quia non sortitur suum effectum, id est: liberum consensum, & cooperationem creatæ voluntatis.

261. *An omnibus hominibus datur gratia sufficiens*? ℟. Omnibus hominibus viatoribus, Deus dat sufficientes gratias, ad consequendam vitam æternam; id est: dat omnibus gratias sufficientes, ut sanctè & piè vivendo observent mandata Dei, ut peccatores etiam maximi agant pœnitentiam, ut infideles, & hæretici convertantur ad fidem; *&c. est de fide. Probatur*; *tum quia*, ita S. Script: ut *Ezech*: 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius è via sua, & vivat. Convertimini*,

ni,



ni, convertimini à viis vestris pessimis; *Tum quia*, ita definitum est in Conciliis; ut Valentinū 3.*Can*:2. *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt*. Concil: Senonense parte 13. in decretis fidei c. 15. *Neq; tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, neq; momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset. Tum quia*, ita SS. Patres, ut S. Aug: Conc: 2. in Psal: 102. *Vocat undiq; ad correctionem, vocat undiq; ad pœnitentiam, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multæ misericordiæ.*

CAPUT III.

De Gratia Habituali sanctificante.

262. *Gratia Habitualis quò ad nomen, quid est?* ℟. Gratia sanctificans quò ad nomen variè denominatur. I. *Dicitur: justificans*; ab effectu suo principali, id est: à justificatione. II. *Dicitur: sanctificans*; quia tollit peccati malitiam, delet maculam ejus, restituit supernaturalem animæ nitorem, & quasi Divinam venustatem. III. *Dicitur: Gratia gratum faciens, idq; formaliter*; quia reddit animam Deo gratam, & amicam. IV. *Dicitur: Charitas*; quia est vinculum quoddam amicitiæ inter Deum & animam. V. *Dicitur: Habitualis, analogicè ab habitu*; quatenus sit quali-

tas



tas permanens, non transiens. *Deinde*, sunt & aliæ denominationes, tum ex S. Scriptura, tum apud SS. Patres; nimirum dicitur: *Vestis nuptialis*; *vestitus deauratus*, *thesaurus*, *Semen Dei*, *justitia*, *amicitia*, *unctio & signaculum Spiritûs S.* &c.

263. *Gratia Habitualis quò ad rem quid est?* ℞. Est gratia supernaturalis permanens, per quam homo formaliter sanctificatur, & justificatur. *Dicitur: formaliter*; quia gratia habitualis est forma, quæ formaliter reddit hominem justificatum, sanctum, Filium Dei adoptivum &c.

264. *Gratia habitualis quotuplex est?* ℞. Est 2plex: Gratia prima, & secunda. *Gratia prima*; quæ non supponit ante se gratiam aliam. Et hæc gratia confertur homini existenti in peccato mortali. *Gratia secunda*; quæ supponit ante se gratiam primam, & vocatur: *Augmentum gratiæ*. Et hæc gratia advenit homini existenti in gratia.

265. *Gratiæ Habitualis qui sunt effectus?* ℞. inter alios præcipuè sunt sequentes:

I. Reddit, & efficit nos Filios Dei adoptivos.

II. Reddit nos Deo gratos, acceptos, & dilectos amicos, qui in peccato mortali existentes, eramus ingrati, & inimici odibiles Deo.

III. Per gratiam sanctificantem fit remissio peccatorum, quia ut primùm hæc gratia animæ infunditur, statim peccata desinunt esse, & penitùs delentur.

IV. Gratia sanctificans dat jus ad gloriam æternam;



nam; quia est semen vitæ æternæ, & est causa nostræ salutis.

V. Gratia sanctificans addit valorem, & dignificat opera nostra bona supernaturalia, reddit illa salutaria, & condignè meritoria vitæ æternæ. *Unde Trid: Sess: 6. cap: 16.* docet; quòd vita æterna Justis reddatur 2plici titulô; scilicet: *titulô hæreditatis, & mercedis. Nimirum, Infantes,* statim post Baptismi susceptionem decedentes, titulô tantùm hæreditatis; *jam verò adulti*, ad finem vitæ, in gratia perseverantes, recipient beatitudinem duplici titulô, id est: *titulô hæreditatis, & titulô mercedis;* ratione bonorum operum, suum valorem & dignitatem habentium à gratia sanctificante &c.

266. *Cum gratia sanctificante, an infunduntur aliæ virtutes supernaturales?* ℟. Infunduntur Fides, Spes, & Charitas, virtutes Theologicæ; *Idem dicendum*, de virtutibus moralibus supernaturalibus infusis. *Ratio*; quia gratia sanctificans est tanquam natura in ordine supernaturali, consequenter exigit illas tanquam suas proprietates.

267. *Gratia habitualis, an potest stare cum peccato mortali in eodem subjecto?* ℟. Certum est, quòd secundùm potentiam ordinariam non possint stare simul. *Ratio*; quia secundùm præsentia Dei decreta, quandocunq; gratia infunditur, Deus condonat, & delet peccata. *De possibili verò, remitto ad Theologos speculativos.*

268. *Gratia Habitualis, an distingvitur à*

Cha-



Charitate? ℞. Certum est secundùm omnes TT. quòd gratia Sanctificans à Charitate nunquam separetur; quicunq; enim accipit gratiam sanctificantem, accipit etiam habitum Charitatis sibi infusum. *Utrum, verò realiter distingvantur? hæc quæstio non spectat ad Theologos morales, sed speculativos.*

CAPUT IV.

De Justificatione.

Justificatio est principalis effectus gratiæ sanctificantis.

269. *Quid est Justificatio, seu Sanctificatio?* ℞. Est supernaturalis emundatio peccatoris à peccatis, per infusionem gratiæ sanctificantis, vel sic: *Est transitus à statu peccati ad statum gratiæ.*

Justificatio potest sumi 2pliciter: I. *Activè & efficienter*; & sic est ipsa actio Dei, per quam nos Deus justificat, & emundat à peccato per infusionem gratiæ habitualis. II. *Passivè seu subjectivè*, & sic: est ipsa emundatio peccatoris, & receptio ejusdem gratiæ sanctificantis.

270. *Quomodo fit justificatio?* ℞. Justificatio defactò secundùm præsentia decreta, fit per infusionem gratiæ sanctificantis inhærentis animæ. *Est de fide; & defin: in Trident: Sess: 6. Can: 11. contra Calvinum, Lutherum, & alios hæreticos, qui variè in hac materia errant. Ratio est*; quia in justificatione nominamur & efficimur Filii Dei participes naturæ Divinæ; jam verò

par-



participatio hæc naturæ Divinæ, non potest aliter explicari, nisi per gratiam sanctificantem intrinsecam, & inhærentem animæ, *Ergo.*

271. *Justificatio impii quid importat?* ℞. Importat duo, scilicet: *Infusionem gratiæ sanctificantis, & condonationem peccati ex parte Dei: Unde,* in justificatione peccatoris duæ sunt distinctæ mutationes; scilicet: *Infusio gratiæ, & remissio peccati. Ratio; tum quia,* secundùm *Trident: Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed est renovatio;* Ergo in justificatione debent esse duo distincta; *Remissio peccati, & renovatio hominis, seu infusio gratiæ. Tum quia;* Remissio peccati, & infusio gratiæ, possunt secum separari per absolutam Dei potentiam, *vg.* per solam extrinsecam condonationem, sine infusione gratiæ habitualis.

272. *Ad justificationem hominis, an requiritur aliqua dispositio?* ℞. Ad justificationem adultorum, requiruntur quædam dispositiones, idq; supernaturales. *In particulari loquendo, communiter à Theologis numerantur dispositiones sequentes:* I. Actus supernaturales Fidei & Spei. (*Henno noster advertit; quòd ad omnem justificationem, non requirantur novi actus fidei & spei expressi & formales, sed sufficiunt moraliter perseverantes, id est: actus fidei & spei formales, qui per actus contrarios infidelitatis, & desperationis, non fuerint dis-continuati, & retractati:*) II. Dolor & propositum ampliùs non peccandi. III.

Ba-

Baptiſmus in re, vel in voto. IV. Timor Dei. V. Contritio,& amor Dei ſuper omnia, ſolent à Theologis vocari ultimæ diſpoſitiones. *Dictum ad juſtificationem adultorum*; quia in infantibus nulla requiritur diſpoſitio; defactò enim in Baptiſmo juſtificantur absq; ulla diſpoſitione; nullum enim poſſunt habere actum liberum. *Plura apud Authores.*

273. *Incrementum juſtificationis, & inæqualitas in augmento gratiæ, an datur?* ℟. Defactò gratia habitualis augetur in hominibus per juſtificationem; conſequenter juſtificatio non eſt æqualis in omnibus juſtis. *Eſt communis inter Catholicos. Probatur: Tum quia; ad Philip:* 1. *Rogo, ut charitas veſtra magis ac magis abundet. Apoc:* 22. *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Tum quia;* Augmentum gratiæ, reſpondet bonis operibus; ſed opera ſunt inæqualia, & quamdiu homo vivit, poteſt plùs & plùs mereri, *Ergo.*

274. *Quæ ſunt cauſæ juſtificationis, ſeu gratiæ juſtificantis?* ℟. Principales & præcipuæ, ſunt ſequentes:

I. *Cauſa finalis juſtificationis noſtræ*, eſt 3plex: Gloria & honor Dei, gloria Chriſti, & æterna beatitudo. *Ratio; Tum quia*, ita *Trident: Seſſ:* 6. *cap:* 7. *hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna. Tum quia;* Gratia ſanctificans in juſtificatione, confertur ad hos fines; ut gloria Dei manifeſtetur;

ut



ut merita Christi illustrentur; & ut homo vitam æternam consequatur.

II. *Causa efficiens principalis*; est Deus; quia solus Deus efficienter gratiam producit, infundit, & peccata dimittit propriâ authoritate; infundere autem propriâ authoritate, est hominem excellenti modô elevare ad filiationem Dei adoptivam; & sic quodammodo deificare, & tribuere ipsi Spiritum S. quæ omnia soli Deo conveniunt, *Ergo*.

III. *Causa Efficiens moralis meritoria justificationis*, est Christus Dominus.

IV. *Causa Instrumentalis moralis justificationis nostræ*, sunt Sacramenta; quia causant moraliter gratiam sanctificantem.

V. *Causa Formalis justificationis nostræ*, est ipsa gratia sanctificans, quæ formaliter reddit hominem amicum, & Filium Dei adoptivum.

VI. *Causa Materialis*, est ipsa anima nostra, in qua recipitur gratia justificans.

VII. *Causa Exemplaris gratiæ & justificationis*, est Christus Dominus, & natura Divina. *Ratio, primæ partis*, quia ita habetur *ad Rom*: 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui &c. Ratio 2. partis*; quia gratia est quædam similitudo & participatio naturæ Divinæ, ideo justificati dicuntur: *conformes naturæ Divinæ*.

275. *An potest quis certus esse de sua justificatione?* ℞. non potest esse certus sine speciali DEI revelatione; secundùm illud Eccl. 9. *Nescit homo,*

utrum amore, an odiô dignus sit. Item Prov: 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Item S. Aug: l. de perfectione Justitiæ cap: 15. *Quantalibet justitiâ sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quid ipse non videt, inveniatur esse culpandum.*

CAPUT V.

De Merito.

Meritum, est secundus principalis effectus, gratiæ sanctificantis.

276. *Quid est meritum ut sic?* ℟. Est actus laudabilis in genere moris, exigens collationem præmii.

277. *Quotuplex est meritum?* ℟. Est 2plex: Naturale & supernaturale.

Meritum Naturale, est actus bonus naturalis, exigens præmium naturale.

Meritum supernaturale, est actus bonus supernaturalis, exigens præmium supernaturale. *Unde*, Meritum Theologicum (*de quo hic est quæstio*) strictè & propriè sumptum, prout est effectus gratiæ elevantis ad statum supernaturalem potest describi sic: *Est obsequium laudabile, exhibitum Deo, dignum retributione præmii supernaturalis.*

278. *Quotuplex adhuc meritum est?* ℟. Est 2plex: Meritum de condigno, & meritũ de congruo.

Meritum de condigno, est illud meritum, quod habet æqualitatem cum præmio, & cui ex justitia debe-

debetur merces, seu præmium; *vg. Amor Dei supernaturalis elicitus in statu gratiæ, dignificatus à gratia sanctificante; est meritum de condigno.*

Meritum de congruo, est illud, quod non habet æqualitatem cum præmio, & cui redditur præmium ex quadam congruentia & honestate; *vg. Contritio elicita à peccatore in statu peccati, est meritum de congruo.*

279. *Ad meritum de condigno, quæ requiruntur conditiones?* ℟. Inter alias sequentes: I. Ut operans sit in statu gratiæ sanctificantis. II. Ut operans sit viator, seu in statu viæ. III. Ut actus sit positivus, bonus, & honestus in genere moris. IV. Ut sit actus liber. V. Ut sit supernaturalis in substantia, dignificatus à gratia sanctificante.

280. *Quæ res possunt cadere sub meritum?* ℟. Observanda sunt hæc:

I. *Homo primam gratiam actualem*, neq; potest mereri de condigno, neq; de congruo. *Ratio. Tum quia*, ita Conc: Arausic. 26. *Deus in nobis nullîs præcedentibûs meritîs, & fidem & amorem inspirat. Tum quia* Gratia actualis vocans, & excitans est principium omnis meriti subsequentis; jam verò principium meriti, non potest cadere sub meritum; aliàs simul esset principium & principiatum, prius & posterius &c.

II. *Homo gratiam habitualem primam*, non potest mereri de condigno, potest tamen de congruo, *est communis TT. Plura apud Authores.*



281. *Beati in Cœlo, an merentur?* ℞ Non merentur, quamvis intensissimè eliciant actus bonos *vg.* Amoris Divini. *Ratio;* quia ad meritum (*ut dictum est n.* 279.) requiritur status viæ; jam verò Sancti non sunt Viatores, sed comprehensores. *Nota tamen,* Beati in Cœlo *obtinent nobis gratiam, viâ impetrationis;* Orando Deum, qui eorum preces exaudiens, concedit gratiam, & alia bona nobis viatoribus. *Viâ tamen meriti,* nihil obtinent, quia sunt extra statum meritorium.

De Reviviscentia Meritorũ.

282. *Prænota.* ✠ Opera hominum bona possunt considerari triplicia. I. *Opera viva;* sunt illa opera bona, quæ fiunt in statu gratiæ, neq; sunt per peccatum mortale subsequens, mortificata; seu impedita ad effectum vitæ æternæ.

II. *Opera mortua;* sunt illa opera bona quæ fiunt in statu peccati mortalis; *peccatũ enim mortale, est mors animæ.*

III. *Opera mortificata;* sunt illa, quæ priùs facta sunt in statu gratiæ, postea per peccatum mortale mortificantur; id est, impediuntur, ne habeant valorem meritorium vitæ æternæ.

283. *Merita seu opera bona mortificata an reviviscunt?* ℞. Opera bona mortificata remotô obice, per pœnitentiam, reviviscunt; id est: recuperant suum pristinum valorem promerendi vitam æternam, tunc, quando peccator per veram pœnitentiam justificatur. *Est communis TT.* conformiter ad illud: *Ezech:*



33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunq; die conversus fuerit ab impietate sua.*

284. *Opera mortua an revivifcunt?* ℞. Nunquam revivifcunt in ordine ad meritum vitæ æternæ. *Ratio*; quia nil poteſt reviviſcere, quod antea nunquam vixit; ſed opera mortua nunquam antea vixerunt; (*non ſunt enim facta in ſtatu gratiæ, quæ ſola vita eſt ſpiritualis*) *Ergo* nunquam poſſunt reviviſcere. *Nota tamen.* Opera bona naturalia mortua, (*quamvis non ſint actus meritorii vitæ æternæ*) tamen non ſunt penitùs inutilia, neq; idcirco ab homine ſunt intermittenda. *Ita omnes DD. Catholici. Ratio ex noſtro Reinſſenſt: Tum quia*; Homo per opera talia, ex miſericordia Dei, præſervatur à gravioribus peccatis, *Ergo*. *Tum quia*, Homo talis ſenſim aſveſcit exercitio bonorum operum, & faciliùs de peccatis commiſſis, agit pœnitentiam, *Ergo &c.*

285. *Peccata ſemel dimiſſa an redeunt?* ℞. Peccata ſemel dimiſſa nunquam redeunt formaliter; poſſunt tamen redire ſecundùm quid, & virtualiter. *Unde peccatorũ reditus poteſt conſiderari 2plex:*

I. *Reditus formalis*, ſi peccatum mortale in ſe ipſo redeat faciendo hominem iterum reum offenſæ Divinæ, & reũ pœnæ æternæ. *Et hôc modô non poteſt redire. Tum quia*, poſitâ pœnitentiâ Deus abſolutè condonat peccata, & cedit juri ſuo abſolutè ad indignandum, *Ergo*. *Tum quia*, peccatum originale ſemel per baptiſmum deletum, non redit per peccata ſubſequentia, *Ergo*, ſimiliter.



II. *Reditus virtualis*, tunc quando peccatũ redit non in se, sed in alio, nimirum. *Primò*, possunt redire per subsequens peccatum *ratione ingratitudinis*; beneficium enim remissionis Divinæ, obligat nos ad non peccandum iteratò; unde si iterum peccemus, graviùs peccamus; quia facimus contra obligationem ortam ex tali beneficio, & quidem tantò graviùs, quantò plura & graviora antea fuerant peccata commissa. *Secundò*: peccatum redit *ratione pœnarum temporalium*, quas Deus distulit, vel non erat inflicturus; infligit tamẽ provocatus repetitis, & multiplicatis peccatis. *Tertiò*: possunt redire peccata *ratione subtractionis auxiliorũ ad vitanda peccata*; quas gratias Deus iteratò offensus, sæpè denegat in pœnam renovatorum peccatorum.

TRACTATUS VI.

De Indulgentiis & Jubilæo.

286. *INdulgentia & Jubilæum, an sunt idem?* ℞. In rigore non sunt idem, quia Indulgentiæ dantur plenariæ, & non plenariæ; jam verò Jubilæum semper est Indulgentia plenaria.

287. *Jubilæum, quò differt ab Indulgentia plenaria?* ℞. *Non differt quò ad substantiam*, seu quò ad effectum remissionis totius pœnæ; *differt tamen accidentaliter per quædam privilegia*, id est: quò ad jurisdictionem & majorem facultatem: I. *Quia* Jubilæum præter Indulgentiam, Plenariam, habet annexas multas facultates quò ad

ablo-



abſolutionem à cenſuris, à caſibus reſervatis, & quò ad commutationem votorum. II. Differunt per hoc; quia, Jubilæum habet effectum certiorem, propter cauſam magis univerſalem, propter longiorem durationem ad duas ſaltem hebdomadas, &c.

De Indulgentia.

288. *Quid eſt Indulgentia?* ℞. *Eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, facta extra Sacramentum, per applicationem theſauri Eccleſiæ. Ratio,* quia in Sacramento pœnitentiæ, cum non ſemper remittatur tota pœna peccatis debita, ſed aliqua pœna maneat, vel hìc, vel in purgatorio ſolvenda; proinde neceſſariæ ſunt Indulgentiæ, ut fiat remiſſio pœnæ, vel ex parte, vel ex toto.

289. *Quid intelligitur per Theſaurum Eccleſiæ?* ℞. Intelliguntur bona opera, & ſatisfactiones Chriſti Domini, Beatiſſimæ, Apoſtolorum, Martyrum, & omnium Sanctorum. *Ratio,* quia prædictæ ſatisfactiones, quæ in Chriſto Domino, in Beatiſſima, & in aliis Sanctis ſuperabundârunt; repoſitæ ſunt in Theſauro Eccleſiæ; ſummus autem pontifex (*cui commiſſæ ſunt claves*) habet poteſtatem applicandi easdem ſatisfactiones etiam aliis Chriſtianis.

290. *Indulgentia quotuplex eſt?* ℞. *Eſt 2plex:* Plenaria & non Plenaria.

Indulgentia Plenaria ſeu totalis; per quam tota pœna temporalis remittitur; id eſt: tota pæna purgatorii.



Indulgentia nō plenaria, seu partialis, per quam tantùm pars pœnæ remittitur. Et hæc Indulgentia partialis aliquando dicitur: *Indulgentia centum annorum, aliquando unius anni, aliquando quadraginta dierum &c.*

291. *Indulgentia adhuc est 3plex?* I. *Realis*; quæ conceditur alicui rei *vg.* metallo, Imagini, seu potiùs in favorem illius, qui rem talem gestat. II. *Personalis*; quæ conceditur personæ, ut illam lucretur, vel in articulo mortis, vel quoties hoc, vel illud opus pium, injunctum fecerit. III. *Localis*; est illa Indulgentia, quæ conceditur alicui loco; scilicet Ecclesiæ, vel Altari.

292. *Quæ requiruntur conditiones ex parte nostra ad lucrandam Indulgentiam?* ℟. Præcipuè requiruntur sequentes: I. Qui vult lucrari Indulgentiam, requiritur ut sit in statu gratiæ; saltem tunc, quando ultimum opus præscriptum completur. Ad hanc conditionem reducuntur illæ: *ut sit baptizatus, ut non sit excommunicatus majore excommunicatione*; quia hæc privat communione bonorum spiritualium. II. Requiritur, ut omnia opera injuncta adimpleantur, quæ ordinariè solent injungi: *Oratio, jejunium, eleemosyna, & similia.* III. Requiritur displicentia & detestatio omnium peccatorum, ita ut peccator ad nullum peccatum habeat affectum. IV. *Secundùm Navarrum, Cajetanum, & alios; requiritur insuper*, Propositum, & sollicitudo satisfaciendi Deo per congruas satisfactiones, & proportionatas peccatis se-

cun-



cundûm posse; & sic secundùm proportionem hujus propositi & solicitudinis percipitur major vel minor fructus Indulgentiæ.

293. *Qui possunt concedere Indulgentias?* ℟. I. Summus Pontifex, idq; debet habere legitimam causam. *Ita DD.* II. Episcopi possunt etiam concedere Indulgentiam; sed hæc potestas est taxata secundùm ordinationem Papæ; Nimirum Episcopi possunt dare Indulgentiam 40. dierum authoritate Summi Pontificis. *Deinde*; in Dedicatione Ecclesiæ possunt concedere Indulgentiam unius Anni. III. Papa solet suis Legatis dare facultatem concedendi Indulgentias, & summo pœnitentiario. *Ita Wigandt de Indulgen:*


294. *Quando Jejunium & eleemosyna injungitur, puer an tenetur jejunare?* ℟. Tenetur; potest tamen ob causam justam dispensari à Confessario.

295. *Opera injuncta an debent fieri in statu gratiæ?* ℟. Non est necessarium; securiùs tamen, ut fiant in statu gratiæ. Ultimum tamen opus, requiritur, ut fiat in statu gratiæ.

296. *Quando oramus pro anima, quæ non est in Purgatorio, an inanis est oratio?* ℟. Non est inanis, sed nobis est meritoria, & prodest aliis animabus indigentibus.

297. *Indulgentiæ, an prosunt animabus defunctorum?* ℟. prosunt deprecativè, per modum suffragii. *Adverte.* Indulgentiæ aliter vivis, aliter defunctis conceduntur; *Vivis enim conceduntur*

per



per modum sententiæ, seu Judicialis potestatis; quia Pontifex habet in vivos jurisdictionem, ejusq; judicio sunt subjecti; Ergo potest vivos absolvere à pœnis debitis; *Jam verò animabus purgatorii concedit Indulgentias deprecativè per modum Suffragii, seu auxilii satisfactorii. Ratio*; quia Pontifex illas non absolvit à pœnis per modum juridicæ absolutionis, sunt enim extra forum ipsius; sed cum habeat jurisdictionem in thesaurum Indulgentiarum, de thesauro Ecclesiæ offert Deo portionem satisfactionis, ut à pœnis liberentur, quas Deus acceptat, illas liberat, illisq; debitum pœnæ remittit, vel ex toto, vel ex parte secundùm qualitatem concessæ Indulgentiæ. *Et sic animæ purgatorii sunt capaces Indulgentiæ per modum suffragii.*

De Jubilæo.

298. *Quid est Jubilæum?* ℟. Est Indulgentia omniū pœnarū temporaliū, peccatis debitarum, cum variis privilegiis & facultatibus, concessa illis, qui perficiunt opera præscripta.

299. *Jubilæum quotuplex est?* ℟. Est 3plex: *Jubilæum Anni Sancti; Jubilæum ordinarium, & Jubilæum extraordinarium.*

Jubilæum Anni Sancti; Hic Annus Sanctus olim erat Annus centesimus; deinde, Annus quinquagesimus; *tandem*, ex reductione Pauli. II. Ad præsens est Annus vigesimus quintus. *Incipit à primis Vesperis Nativitatis Domini & in pri-*

mis



mis Vesperis Anni sequentis iterùm finitur, consequenter hoc Jubilæum durat per totum annum in Urbe.

Jubilæum ordinarium; quod post Annum Sanctum conceditur Provinciis extra Italiam, duratq; per bimestre.

Jubilæum extraordinarium; quod fit vel post coronationē neo-electi summi Pontificis pro exorando à Deo felici regimine; vel in gravi necessitate Ecclesiæ solet concedi, & durat duabûs septimanîs; hoc est: per dies quindecim; ita, ut includat tres Dominicas, & duodecim dies feriales.

300. *Quæ facultates conceduntur sub tempus Jubilæi?* ℟. Solent concedi sequentes: I. Conceditur potestas absolvendi ab omnibus censuris, & casibus reservatis, omnibus Confessariis approbatis ab Ordinario Loci, exceptô crimine hæresis formalis; (*nisi exprimatur*) & exceptîs quibûsdam aliîs casibûs. *V. n.* 758. *&* *seq:* II. Conceditur facultas commutandi omnia vota; (*non verò dispensandi*) exceptô votô castitatis, & Religionis. III. Datur potestas commutandi opera præscripta. *Interim, sub tempus Jubilæi debet legi Bulla; quia facultates dependent ex dispositione Bullarum.*

301. *Quæ sunt Requisita ad lucrandam Indulgentiam Jubilæi?* ℟. Eædem sunt conditiones, de quibus superius diximus de Indulgentia: 292. *Interim*, Indulgentia Jubilæi cū sit plenissima, plura bona opera præscribuntur; ordinariè tamen solent

hæc



hæc præſcribi: *Jejunium, eleemoſyna, viſitatio Eccleſiarum cum oratione, confeſſio, & Communio.*

Obſervanda ſunt hæc:

I. *Tempore Jubilæi*, opera præſcripta debent omnino intra unam & eandem ſeptimanam impleri; imò tria jejunia non poſſunt aliîs diebûs ejusdem ſeptimanæ impleri, niſi diebûs præſcriptîs, ſcilicet: *Feriâ 4tâ, feriâ 6tâ, & Die Sabbati.*

II. *Adoleſcentes* ante annum vigeſimum primum, & ſenes poſt annos 60. (*ex privilegio Eccleſiæ*) licet ſint liberi à jejunio præceptô ab Eccleſia; tamen, ut lucrentur Indulgentiam Jubilæi, tenentur jejunare. *Ratio*; quia, jejunium eſt conditio appoſita ad gratiam Jubilæi; quòd ſi habeant juſtam rationem & cauſam non jejunandi, petant à Confeſſario commutationem. *Idem dicendum*, de pauperibus & infirmis, ut fiat commutatio in aliud bonum opus.

III. *Eccleſiæ* debent viſitari eædem, quæ ſunt deſignatæ ab Ordinario loci.

302. *Pro conſequenda Indulgentia Jubilæi, an debet fieri eleemoſyna?* ℟. Debet fieri, ſi expreſſa ſit in Bulla; *Quantitas autem Eleemoſynæ, ſi non determinetur per Bullam*; debet fieri ſecundùm regulas prudentiæ, & ſecundùm dictamen conſcientiæ; Unde major Eleemoſyna debet fieri à divite, quàm ab egeno. Qui autem non poteſt dare eleemoſynam, debet à Confeſſario aliud bonum opus imponi. *Idem dicendum, de Regularibus*



& monialibus, pro quibus debet superior præscriptam eleemosynam dare ex bonis communibus monasterii; quòd si superior nollet, debent commutationem petere à Confessario. *Idem dic, de uxoribus & filiisfamilias.*

303. *Durante Annô Sanctô, seu durante Jubilæô in urbe, quæ Indulgentiæ suspenduntur, & quæ non suspenduntur?* ℟.

I. Extra Urbem Romanam omnes Indulgentiæ tantisper suspenduntur quò ad vivos, etiam in carceribus.

II. Eôdem Annô Sanctô, non suspenduntur Indulgentiæ plenariæ pro constitutis in periculo mortis, ex declaratione Urbani VIII. Anno. 1625.

III. Non suspenduntur Indulgentiæ pro Defunctis.

IV. Indulgentia Portiunculæ quamvis per totum orbem in omnibus aliis Ecclesiis suspendatur pro vivis; tamen non suspenditur in Ecclesia S. MARIÆ Angelorum prope Assisium, ex speciali indulto Summorum Pontificum.

V. Eadem Indulgentia Portiunculæ cum sit concessa tam pro vivis, quàm defunctis, licet suspendatur hôc Annô Sanctô pro vivis, tamen in nulla Ecclesia Ord: Minor: suspenditur pro Defunctis, uti dictum est etiam de aliis Indulgentiis. *Plura apud Casistas.*

TRACTATUS VII.

4.

De Voto.

304. *VOtum quid est?* ℟. Est promissio delibera-

ta

ta & voluntaria facta Deo, de bono meliori & possibili. *Dicitur de bono possibili*; quia de impossibili non potest fieri votum. *Dicitur de bono meliori*; quia nullum est votum, si fiat de aliquo malo, neq; ullus tenetur illud exequi, sed debet abnegare.

305. *Votum quotuplex est?* ℟. Est 2*plex*: Solemne & simplex.

Votum Solemne; quod emittitur publicâ authoritate, & acceptatur ab Ecclesia; *uti est, votum castitatis, annexum Sacris ordinibus; & tria vota Religionis approbatæ, emissa in professione.*

Votum simplex; est promissio Deo facta sine tali solemnitate, privatâ authoritate; *vg. votum castitatis à sæcularibus factum; votum eleemosynæ; votum ingressûs ad Religionem &c.*

306. Votum adhuc est 2*plex* Absolutum & conditionatum.

Votum absolutum; quod fit sine ullà conditione; *vg.* dabo eleemosynam.

Votum conditionatum; quod fit cum aliqua conditione; *vg.* si sanus fuero dabo Eleemosynam. *Hoc votum conditionatum obligat conditione impleta; vel si quis suâ culpâ impediat, ne conditio impleatur.*

307. Votum adhuc est 3*plex*: Reale, personale, & mixtum.

Votum Reale; in quo promittitur res externa, *vg.* Eleemosyna.

Votum personale; in quo promittitur actio perso-

sonæ, vel ejus omissio, *vg. votum jejunii.*

Votum mixtum ex Reali & Personali; in quo promittitur utrumq; *vg. dum promittitur peregrinatio cum eleemosyna.*

308. *Quot modis potest tolli votum?* ℟. Præcipuè tribus modis sequentibus.

I. *Per dispensationem*, quæ fit ab habente potestatem, cui communiter admiscenda est aliqua commutatio.

II. *Per commutationem*; quando votum mutatur in aliud opus æquè bonum, & salutare. *Per hanc commutationem, simpliciter non tollitur obligatio, sed una substituitur locò alterius.*

III. *Per Irritationem*; quando votum annulatur, ita ut non sit obligatorium, neq; verum esse votum; *vg. Irritatio voti potest fieri à superiore respectu subditi; à Parente respectu filii; à Domino respectu servi &c.*

Quartus modus additur ab aliis: Per cessationem; ut si materia voti fiat impossibilis.

309. *Quæ sunt requisita ad obligationem voti?* ℟. Sunt tria. I. Deliberatio, ut sit plena; & talis, quæ sufficit ad peccatum mortale. II. Requiritur propositum voluntatis, id est: voluntas emittendi votum. III. Requiritur Promissio de aliquo bono meliori. *Unde constat, quòd aliud sit propositum, & aliud promissio. Ratio*, quia propositum est sola voluntas faciendi opus; jam verò promissio; huic voluntati insuper addit voluntatem obligandi se Deo.

310.

310. *Quæ vota sunt soli Papæ reservata?* ℟. Hæc quinque I. Votum perpetuæ castitatis. II. Votum Religionis. III. Votum peregrinationis in Jerusalem. IV. Votum peregrinationis ad limina Apostolorum. V. Votum peregrinationis compostellam. *Wigandt de Relig.*

TRACTATUS VIII.

15

De Censuris.

311. *Quid est Censura?* ℟. Est pœna spiritualis medicinalis & temporalis, per quam homo baptizatus privatur à Judice Ecclesiastico, bonîs Ecclesiæ communibûs. *Dicitur: medicinalis;* quia censura est pœna ad emendationem. *Dicitur: temporalis;* quia censura nō est pœna perpetua, sed ad tempus; tollitur enim subsecutâ emendatione. *Dicitur? homo baptizatus;* quia censura non potest cadere in infideles; quia non sunt baptizati, & non sunt Ecclesiæ subditi, subjectio enim Ecclesiæ fit per Baptismum.

312. *Quid intelligitur per bona spiritualia cōmunia?* ℟. Intelligitur: *Usus activus, & passivus Sacramentorum; Officia Divina; Beneficia; Indulgentiæ; participatio suffragiorum; sepultura Ecclesiastica &c. vid: n. 319.*

313. *Censura quotuplex est?* ℟. Est 3plex: *Excommunicatio, suspensio, & interdictum; & de his tribus.*



De Excommunicatione.

314. *Excommunicatio quid est?* ℟. Est censura Ecclesiastica, per quam homo baptizatus privatur omnibûs, vel aliquibûs bonîs spiritualibûs.

315. *Excommunicatio quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Major, & minor.

Excommunicatio major; est censura Ecclesiastica, per quam homo privatur omnibûs bonîs spiritualibûs.

Excommunicatio minor; est censura Ecclesiastica, per quam homo baptizatus, privatur passivâ Sacramentorum participatione.

316. *Excommunicatio minor, ob quam causam incurritur?* ℟. Propter unicam causam, scilicet; quando quis communicat cum excommunicato excommunicatione majori, denuntiato.

317. *Excommunicatio major quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Excommunicatio à Jure, & ab homine.

Excommunicatio à Jure; est illa, quæ incurritur ab ipso Canone, seu ab Ecclesiastica lege, absq; ministerio Judicis.

Excommunicatio ab homine; quæ incurritur ex declaratione Judicis.

318. *Excommunicatio major, ob quod crimen infertur?* ℟. Infertur propter peccatum mortale externum; quando hoc peccatum aliter non potest corrigi & impediri; semper tamen ex essentiali ratione medicinalis est; quia infligitur propter ani-



mæ salutem, & vitæ emendationem.

319. *Excommunicationis majoris, qui sunt effectus?* ℞. Sunt sequentes: I. Privatio Communium Suffragiorum. II. Privatio participationis activæ & passivæ Sacramentorum; *vg. excommunicatus non potest celebrare Missas, & audire illas.* III. Privatio Jurisdictionis Ecclesiasticæ. IV. Privatio communionis cum fidelibus.

320. *Excommunicationis quod est subjectum?* ℞. Subjectum, est homo baptizatus, viator & adultus, subjectus Ecclesiasticæ jurisdictioni.

321. *Quis potest excommunicare?* ℞. Papa, Episcopus, Concilia Generalia, Capitulum Sede vacante, Generales, Provinciales, Superiores.

322. *Excommunicatus majori excommunicatione quotuplex est?* ℞. Est 2plex: Excommunicatus toleratus & non toleratus.

Excommunicatus toleratus; est ille, qui à nullo Judice publicè est denunciatus in particulari; tamen annexa est illi excōmunicatio major. *Porrò; cum excommunicatis toleratis licita est communicatio uti sunt: hæretici, schismatici &c.*

Excommunicatus non toleratus seu vitandus; est ille, qui publicè est denuntiatus in particulari, per publicam sententiam Judicis Ecclesiastici; *vg. hic Petrus, hic Paulus &c.*

323. *In quibus casibus licita est participatio cum excommunicato non tolerato?* ℞. Licita est in sequentibus, secundùm illud:

Utile,



Utile, Lex, humile, Res ignorata, necesse:

Utile; significat utilitatem aliquam; *vg. licitum est exhortari, ut convertatur, & resipiscat.*

Lex; significat legem, *vg.* matrimonii; *Unde uxor non tenetur vitare obsequia, quæ tenetur viro.*

Humile; Significat servos, filios, & subditos, qui obligantur ad subjectionem.

Res ignorata; significat ignorantiam, si quis nesciret esse excommunicatum.

Necesse; significat aliquam necessitatem, *vg. excommunicatus, si esset debitor, licitum est ab illo requirere suum debitum.*

324. *In quibus casibus non est licita participatio cum excommunicato non tolerato?* ℟. Non est licita in sequentibus secundùm illud:

Os, orare, vale. communio, mensa, negatur.

Os, significat allocutionem per verba, vel per literas, vel per alia signa; *vg. per complexus, per oscula, per acceptationem munerum &c.*

Orare; significat participationem in Divino Officio, in Suffragiis, in Sacramentis, *vg. non est licitum simul absolvere Divinum Officium.*

Vale; significat honorificas salutationes, valedictiones, scriptò, signô, aut verbô.

Communio; significat cohabitationem in eadem domo, conversationem mutuam *&c.*

Mensa; significat participationem in cibo, potu, conviviis, *&c. Unde non est licitum, ad eandem mensam comedere, vel bibere, cum excommunicato, vel in eodem lecto dormire, &c.*

❧§)(*)(§❧

De Suspensione.

325. *Suspensio quid est?* ℟. Est censura Ecclesiastica, per quam Clerico prohibetur, ne exerceat functiones sui officii, vel beneficii.

326. *Suspensio est 3plex: Suspensio ab Officio tantùm*; quæ privat exercitiô ordinis. *Suspensio à beneficio tantùm*; quæ privat fructibûs beneficii. *Suspensio ab officio, & beneficio simul*; quæ privat tam exercitiô Ordinis, quàm fructibûs beneficii.

327. *Quis potest incurrere censuram suspensionis??* ℟. Solus Clericus, non verò Persona sæcularis.

De Interdicto.

328. *Interdictum quid est?* ℟. Est censura Ecclesiastica, per quam prohibetur celebratio Divini Officii, administratio Sacramentorum, Sepultura Ecclesiastica, & ingressus Ecclesiæ.

329. *Interdictum quò differt à suspensione?* ℟. Differt per hoc, quia suspensio privat spiritualibûs bonîs, prout sunt propria ipsi suspenso, jam verò interdictum privat iîs, prout sunt communia.

330. *Interdicti quæ est materia?* ℟. Requiritur peccatum mortale externum, de quo potest Ecclesia judicare.

331. *Interdictum quotuplex est?* ℟. Est 3plex Locale, Personale, & mixtum.

Interdictum Locale; quô locus interdicitur, ne Divina peragantur.

Inter-



Interdictum Personale; quô solæ Personæ interdicuntur; *vg.* Ne populus audiat Missam, ne fiat sepultura, *&c.*

Interdictum mixtum; quod fertur super locum, & super Personas.

332. *Interdictum adhuc est 2plex:* Generale, & particulare.

Interdictum Generale; quod fertur super locum totum, & super personas omnes; *vg.* Super totum Regnum.

Interdictum particulare; quod fertur super locum particularem, & super aliquam personam; *vg.* Super urbem unam, vel super personas aliquas tantùm.

De Depositione, & Degradatione.

17

333. *Quid est Depositio?* ℞. Est pœna, per quam Clericus privatur in perpetuum beneficiô, & usu ordinis, per Canonicam sententiam, cum debita solemnitate prolatam.

334. *Quid est Degradatio?* ℞. Est pœna, per quam Clericus, non tantùm privatur beneficiô & usu ordinis, sed etiam privatur statu Clericali, & privilegiis fori, & Canonis.

335. *Depositio & Degradatio, an sunt censuræ?* ℞. Non sunt censuræ. *Ratio*, quia licèt sint pœnæ spirituales, tamen non sunt medicinales, & temporales, sed perpetuæ; Jam verò censura debet

esse pœna medicinalis ad tempus.

336. *Irregularitas an est censura?* ℞. Non est censura; quia non est pœna, sed quædam inhabilitas, & impedimentum; *ut mox dicetur.*

TRACTATUS IX.

16 — *De Irregularitate.*

337. *IRregularitas quid est?* ℞. Est impedimentum Canonicum directè impediens susceptionem ordinum, & usum susceptorum.

338. *Quotuplex est Irregularitas?* ℞. Est 2plex: ex defectu & delicto. ~~Unde~~

De Irregularitate ex Defectu.

339. *Irregularitas ex defectu, propter quos defectus incurritur?* ℞. Incurritur propter novem defectus sequentes:

I. *Ex defectu natalium*; hoc est: *omnes illegitimi*; sunt irregulares, sive sint naturales, sive spurii. *Nota filius naturalis*, est ille, qui natus est ex liberis; *Filius autē spurius*, est ille, qui natus est ex adulterio, Incestu, vel Sacrilegio.

Filii naturales legitimantur, vel per subsequens matrimonium inter eorum Parentes, si legitimè possunt nubere; vel possunt legitimari per professionem Religiosam; tamen tales Filii non possunt promoveri ad dignitates & prælaturas, sine dispensatione.

II. *Ex defectu Originis*; hoc est: servi propriè dicti, & mancipia, sunt irregulares.

III.



III. *Ex defectu libertatis à curia, vel à ratiociniis.* Hinc sunt irregulares, qui sunt obligati perpetuò ad sæcularem curiam, uti sunt: *Judices, Advocati, Procuratores, milites, Thesaurarii, Tutores, &c.* intellige, dum actu talia munera sæcularia exercent; *vg. Milites quamdiu obligârunt se ad servitium, similiter Curiales &c.*

IV. *Ex defectu ætatis;* intelliguntur infantes, qui donec septennium expleverint, ad nullum ordinem admittuntur, imò neq; ad primam tonsuram: *Nota: ad Acolytatum,* requiruntur 12. *Anni completi. Ad subdiaconatum,* requiritur *annus* 22. *incohoatus. Ad Diaconatum,* requiritur; *annus* 23. *incohoatus. Ad Presbyteratum,* requiritur *annus* 25. *incohoatus.*

V. *Ex defectu animæ;* per hanc irregularitatem intelliguntur: *Illiterati, amentes etiam ad tempus, Lunatici, Epileptici, Neophyti, hoc est: recenter ad fidem conversi, &c.*

VI. *Ex defectu corporis;* illi sunt irregulares, qui sunt: *Cæci, surdi, gibbosi, leprosi, paralitici, carentes auribûs, nasô, manu, pollice, indice, oculô canonicô, scilicet sinistrô. Nota:* Utrum sit notabilis deformitas, spectat judicium ad Ordinarios Loci.

VII. *Ex defectu Sacramenti;* intelligitur Sacramentum Matrimonii, per bigamiam, quia bigamus non repræsentat perfectam unionem Christi cum Ecclesia. *Nota: Bigamia est 3plex: Bigamia vera;* tunc est, quando duo, vel plura ma-



trimonia valida, contracta sunt, & consummata. *Bigamia interpretativa*; tunc est, quando matrimonium contractum cum vidua. *Bigamia similitudinaria*; tunc, quando quis factô solemni votô castitatis, matrimonium contrahit, & consummat &c.

VIII. *Ex defectu bonæ famæ*; intelliguntur infames de Jure, vel de facto. *Nota: Infamia potest contrahi dupliciter:* aliquando sine culpa ratione artis vilis uti sunt: *Histriones, Mimi, filii publicæ meretricis, &c.* Aliquando *ex crimine notorio & publico,(quia ex occulto non oritur.)* Uti sunt: *publici hæretici, damnati ad triremes, secundùm illud: à triremibus ad altare non datur regressus &c.*

IX. *Ex defectu perfectæ lenitatis, seu mansvetudinis Christi Domini*; Hæc irregularitas incurritur sine culpa; *ex homicidio, vel mutilatione in bello justo, vel in judicio, & tales sunt: Judices sententiam Sangvinis ferentes*; *Notarii, accusatores, testes, advocati, Ministri justitiæ, & alii ad mortem cooperantes. Nota:* Hæc lenitas, & mansvetudo, ideo ab Ecclesia requiritur, quia Sacerdos gerit Personam Christi Domini; qui utpote lenissimus, neminem unquam læsit. *Dicitur: in bello justo*; quia, si fiat bellum injustum, ex homicidio voluntario contrahitur irregularitas ex delicto.

De Irregularitate ex Delicto.

340. *Irregularitas ex delicto, ex quibus de-*

lictis incurritur? ℟. Ex quinque delictis; ſcilicet:

I. *Ex delicto circa Baptiſmum*; tunc fit, quando quis ſcienter rebaptizat, & adultus etiam ſcienter rebaptizatur.

II. *Ex delicto per ſaltum*; tunc fit, quando quis non habens inferiorem ordinem, ſuſcipit ſuperiorem; *v. g.* non habens Subdiaconatum, ſuſcipit Diaconatum, vel Presbyteratum. *In hoc caſu validè ſuſcipitur Ordo, ſed poſtea omnino, debet ſuppleri omiſſus Ordo.*

III. *Ex delicto in ſuſceptione Ordinum*; quando quis ſuſcipit Ordinem ligatus cenſuris, vel ab Epiſcopo ligato cenſuris & nō habente jurisdictionem, cui prohibetur conferre Ordines, *&c.*

IV. *Ex delicto in uſu Ordinum*; quando quis exercet actum Ordinis majoris, quem non habet; vel habet quidem, ſed eſt ligatus cenſurâ.

V. *Ex delicto enormi, publico & notorio*; quādo quis illa peccata publica & enormia patravit, quæ à jure annexam habent infamiam; uti ſunt: *Adulterium, raptus, inceſtus, perjurium in judicio; raptus Virginis, veneficium, Duellum, Sacrilegium, Sodomia, homicidium, vel mutilatio in bello injuſto, in quo ſi unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, ſi ſit cooperatus.*

341. *Irregularitatis cauſa efficiens*, ſunt Sacri Canones, ſeu potiùs Summus Pontifex, qui Irregularitatem induxit, eamq; per Sacros Canones expreſſit. *Unde Epiſcopi, & alii Summo Pontifice inferiores*, non poſſunt ferre Irregularitates;

quia



quia ad ipsos non pertinet jus commune ferre; potest tamen Papa ferre Irregularitatem per sententiam, seu ab homine. *Bonac: tom:* 1. *fol:* 695. *n.* 1. & 2.

342. *Irregularitatis subjectum*, est omnis homo, capax Ordinis, subditus juri communi. *Unde fæmina, & infidelis, (qui nondum est baptizatus) non sunt capaces Irregularitatis; quia non habent capacitatem ad Ordines.*

343. *Ad Irregularitatem ex delicto incurrendam, requiruntur hæc:* I. Ut sit actus externus. II. Ut sit actus peccaminosus & deliberatus. III. Ut hoc peccatum sit cognitum in ratione pœnæ. IV. Ut sit opere consummatus. *Unde non sufficit desiderium vel attentatio &c. quamvis Ecclesia possit inducere Irregularitatem ob solam attentationem. Bonac: tom:* 1. *f.* 662.

344. *Ad incurrendam irregularitatem non sufficit actus internus*; actus enim internus non subjacet potestati Ecclesiæ. *Bonac: tom:* 1. *f.* 663.

345. Irregularis suscipiendo, vel exercendo ordines, non incurrit novam irregularitatem, vel aliam pœnam; peccat tamen mortaliter. *Ibidem.*

13

TRACTATUS X.

De Sacramentis in genere, & communi.

346. *Sacramentum quid est?* ℟. Est signum sensibile significans gratiam insensibilem, institutum à Christo Domino ad sanctificandum hominem. *Nota:* Sacramentum posse dici signum 3pliciter:

Signum



Signum rememorativum, Passionis Christi Domini. Signum Demonstrativum gratiæ, & Signum prognosticum gloriæ æternæ.

347. *Sacramenta novæ Legis quot sunt?* ℟. Sunt septem: *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.*

348. *Sacramentorum novæ Legis, quis est Author, & à quo sunt instituta?* ℟. Ipse Christus Dominus est Author Sacramentorum, & ab ipso Christo Domino immediatè omnia Sacramenta sunt instituta. *Ita Conc: Trident: Sess: 7. Can: 1. Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, anathema sit.*

349. *Sacramenta novæ Legis, ad quem finem sunt instituta?* ℟. Sunt instituta ad salutem humani generis. *Nota:* Salus humana potest considerari 2plex: *Salus proxima seu inchoata*, est ipsa gratia sanctificans, seu est ipsa justificatio hominis. *Salus hominis ultimata & consummata*, est ipsa gloria cœlestis, seu Beatitudo.

350. *Sacramenta, an omnibus sunt necessaria?* ℟. Aliqua Sacramenta sunt omnibus necessaria; aliqua non sunt omnibus necessaria; scilicet: *Baptismus*, est omnibus necessarius ad salutem. *Pœnitentia*, est necessaria omnibus illis, qui sunt lapsi in peccatum mortale. *Eucharistia*, est necessaria ex præcepto Ecclesiæ omnibus habentibus usum rationis. *Reliqua Sacramenta* non sunt necessaria per se omnibus & singulis; *Interim, Ordo, &*

Ma-



Matrimonium, sunt necessaria toti Ecclesiæ.

351. *Sacramenta novæ Legis quotuplicia sunt?* ℟. Sunt 2plicia: *Sacramenta mortuorum*; & hæc sunt duo: *Baptismus*, & *Pœnitentia*. *Vivorum*, & hæc sunt reliqua 5. *Sacramenta vivorum*; *ideo dicuntur talia*; quia in subjecto suscipiente supponunt gratiam primam, quæ est vita animæ. *Sacramenta mortuorum*, *ideo sunt talia*; quia in subjecto suscipiente non supponunt gratiam sanctificantem. *Unde*, *Sacramenta vivorũ*; per se, causant gratiam secundam. *Sacramenta verò mortuorum*; per se causant gratiã primam. *Quid est gratia 1ma & 2da. v. n.* 264.

352. *Sacramẽta adhuc sunt 2plicia*: Iterabilia & non Iterabilia. *Sacramenta Iterabilia*, *sunt illa*; quæ possunt iterari, & defacto iterantur. Et talia sunt quatuor, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctio*, & *Matrimonium*.

Sacramenta non iterabilia; quæ nullatenus possunt iterari. Et hæc sunt tria: *Baptismus*, *Confirmatio*, & *Ordo*. *V. n.* 367.

353. Sacramentalia communiter à DD. numerantur sex: sequenti versu:

Orans, *Tinctus*, *Edens*, *Confessus*, *Dans*, *Benedicens*.

Explico: *Orans*; denotat Orationem Dominicam; *quæ præcipuum locum obtinet*, *inter Sacramentalia*.

Tinctus; qui aquâ benedictã aspersus, se signat.

Edens; complectitur comestionem eorum, quæ à Sacerdotibus sunt benedicta. *Con-*

Confessus; significat confessionem generalem cum tunsione pectoris, *quæ fit ante Introitum Missæ, ad primam, & ad completorium.*

Dans; significat Eleemosynam.

Benedicens; significat Episcopalem benedictionem; *Secundùm alios denotat etiam alias benedictiones ab Ecclesia institutas; uti: benedictionem Cinerum, Candelarum, Palmarum, &c.*

354. *Sacramenta, quò differunt à Sacramentalibus?* ℟. I. Quia Sacramenta sunt à Christo instituta; Sacramentalia tantùm ab Ecclesia, traditâ sibi potestate à Christo. II. Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ex sua natura per se; Sacramentalia conferunt gratiam non ex se ipsis, sed ex opere operantis, scilicet virtute doloris, quando ille exercetur. III. Sacramenta sunt instituta etiam ad remissionem mortaliũ; Sacramentalia verò ad remissionem venialium peccatorum.

355. *Quid est validè, aut invalidè administrare Sacramenta?* ℟. Sacramentum validè administratur tunc, quando Sacramentum conficitur quò ad suam substantiam; id est: quando forma conjungitur materiæ cum debita intentione. *Invalidè tunc*, quando absolutè non conficitur Sacramentum, ex eo, quia aliquid deest ex Essentialibus, id est: vel materia debita, vel forma, vel intentio deest. *Item. Licitè tunc administratur Sacramentum, quando administratur inculpabiliter sine peccato.*

356. *Sacramenta novæ Legis, quibûs perfi-*

ciun-

ciuntur? ℟. Omnia Sacramenta perficiuntur rebûs & verbîs, ſaltem latô modô ſumptîs, ita ut res ſint tanquam materia, & verba tanquam forma. *Dictum: rebûs & verbîs ſaltem latô modô ſumptîs*; quia non omnia Sacramenta habent res & verba formaliter talia, ſed tantùm æquivalenter talia; *uti matrimonium poteſt perfici etiam nutibûs, quæ verba non ſunt formalia, ſed æquivalenter talia. In Sacramento Pœnitentiæ; actus pœnitentis vg. Confeſſio exprimitur per verba; defactô tamen actus pœnitentis ſunt res & materia; quia ſola obſolutio Sacerdotis eſt forma.*

357. *In materia Sacramentorum, quando eſt mutatio ſubſtantialis?* ℟. Tunc eſt, quando adhibetur res, quæ non cenſetur eſſe ejusdem rationis; *vg.* Si in Baptiſmo adhiberetur vinum pro aqua. *Accidentalis* tunc eſt; quando adhibetur materia, quamvis non ſit per ſe eadem cum illa, quæ præſcribitur; non eſt tamen diverſæ rationis, neq; ſpeciei; *vg.* Si adhiberetur aqua calida, locò aquæ frigidæ. *Item* Panis fermentatus, loco panis azymi.

358. *Quando eſt mutatio ſubſtantialis in forma Sacramentorum?* ℟. Tunc eſt, quando invertitur ſenſus formæ à Chriſto traditæ, & ab Eccleſia receptæ, ac præſcriptæ, ita, ut non ſignificetur illud, quod Chriſtus per formam à ſe inſtitutam voluit ſignificari.

De

14

De Effectu primario Sacramentorum, scilicet de Gratia.

359. *Sacramentorum novæ Legis, quis est effectus primarius?* ℟. Est 2plex: Effectus primarius communis: *Est Gratia habitualis sanctificans*, quæ est communis omnibus Sacramentis, & quando nullus adest obex, infallibiliter confertur ex opere operato. *Ita Concil: Trident: & Floren:* 2dus *Effectus primarius specialis: sunt gratiæ actuales, & auxilia Divina*; quæ deserviunt speciali fini Sacramentorum; *sequenti modo:*

Baptismus, præter gratiam habitualem & sanctificantem, confert gratias actuales, quæ deserviunt ad vivendum piè & Christianè.

Confirmatio confert, actuales gratias ad constanter & fortiter profitendam fidem, coram Tyranno.

Eucharistia, ad sedandas, & minuendas passiones; Iræ, Invidiæ, Luxuriæ *&c. Item*; ad augendam specialem charitatem Dei.

Pœnitentia confert gratias, ad majorem peccatorum præcautionem, ad detestationem, ad satisfactionem; & ad non peccandum ampliùs.

Extrema Unctio confert gratias, ad fortiter dimicandum, in agone contra Dæmonem.

Ordo confert gratias, ad exercendum ministerium cultûs Divini piè & devotè.

Matrimonium, confert gratias & auxilia ad vi-

vivendum debitô modô, ad munia Matrimonii debitè exequenda, & ad ejus ferenda onera.

360. *Sacramenta novæ Legis, quomodo causant gratiam?* ℟. Causant ex opere operato. *Est de Fide.*

Gratia causatur ex opere operato, ex eo; quia confertur independenter à meritis operantis, sed ex meritis Christi Domini, & ex vi solius Sacramenti.

Gratia causatur ex opere operantis tunc; quando confertur intuitu meritorum, & bonorum operum ipsius operantis; id est: secundùm mensuram dispositionis, & meriti suscipientis.

361. *Gratiæ Sacramentalis, quæ sunt causæ?* ℟. Solus Deus, est Causa Physica principalis gratiæ Sacramentalis. *Christus Dominus*, est causa meritoria principalis. *Sacramenta*, verò sunt causæ Instrumentales morales. *Unde infer; quòd Sacramenta causent gratiam moraliter, non verò Physicè. Interim hæc quæstio spectat ad Theologos speculativos. Fusiùs de Causis Gratiæ v. n.* 274.

362. *Sacramenta ejusdem speciei an conferunt æqualem gratiam?* ℟. Si subjecta sint æqualiter disposita, conferunt æqualē gratiā. *Ratio*; quia habitîs omnibûs æqualibus, non est ratio, cur non sint æquales effectus. *Unde*, si subjecta sint inæqualiter disposita, causant gratiam non æqualem, sed secundùm mensuram dispositionis, majorem, vel minorem gratiam. *Ita Trid: Sess: 6. c. 7. Porro.* Dispositio requisita in suscipiente Sacramenta, est *2plex*: *U-*

na

na in Intellectu, ut Fides. *Altera consistit in actibus voluntatis, vg.* in attritione, vel contritione; amore Dei; devotione; *&c. Plura v.* 655. *Item* 272.

363. *Baptismus & Pœnitentia, ex sua institutione conferunt primam gratiam*; id est: illam, quæ nullam aliam gratiam supponit in subjecto. *Reliqua verò Sacramenta, ex sua institutione conferunt gratiam secundam*, hoc est: *sunt instituta ad augendam gratiam, & supponunt gratiam in suscipiente; jam verò dum causant gratiam primam, hoc ipsis evenit per accidens, non verò primariò, & per se. V. n.* 351.

364. *Sacramenta, quô tempore conferunt gratiam?* ℟. Conferunt gratiam habitualem tunc, quando sunt in esse completo Sacramenti. *vg. Baptismus*, causat gratiam eô instanti, in quo ablutio & prolatio verborum facit sensum perfectum. *Idem*, de aliis Sacramentis. *Dicitur gratiam habitualem &c. Secùs dicendum; de gratiis actualibus specialibus*; quia gratiæ actuales non statim conferuntur, sed non nisi tunc, quando sunt necessariæ ad consequendum finem cujusvis Sacramenti.

365. *Gratia Sacramentalis, an differt à gratia non Sacramentali?* ℟. Non differt essentialiter specie intrinseca, & Physica; differt tamen extrinsecè, & accidentaliter; inquantum gratia Sacramentalis habitualis, habeat sibi moraliter superadditum jus speciale ad gratias actuales, conducentes ad obtinendos Sacramentorum fines; quod jus non

habet gratia habitualis extra-Sacramentalis.

15. De Effectu secundario Sacramentorum, scilicet de Charactere.

3.

366. *Quid est Character?* ℟. Est Signum spirituale, impressum in anima, collativum alicujus potestatis in Ecclesia; vi cujus Sacramenta iterari non possunt.

367. *Quæ Sacramenta imprimunt Characterem?* ℟. Tria Sacramenta; scilicet: *Baptismus, Confirmatio, & Ordo*; Et hæc Sacramenta tria non possunt iterari ratione ejusdem Characteris, quem imprimunt animæ indelebiliter manentem. *Infer* ex eadem ratione Ordines majores & minores non possunt iterari.

368. *Character quare dicitur indelebiliter manens?* ℟. Quia Character cùm sit qualitas spiritualis supernaturalis, nullum habet contrarium, per quod tollatur. *Deinde*: Voluntas Dei est talis, quæ statuit, ut nunquam deleatur etiam post mortem, secundùm præsentia Dei decreta; secùs de potentia Dei absoluta.

369. *Isti Characteres quid efficiunt?* ℟. *Character Baptismi efficit*; ut homo sit capax ad recipiènda alia Sacramenta; quia Baptismus est janua Sacramentorum. *Character Confirmationis efficit*; Ut homo sit aptus ad eliciendos actus virtu-

tum,



tum, præsertim fidei; seu, ut homo sit fortis ad defendendam fidem coram hæreticis, coram tyranno &c. *Character Ordinis efficit*; ut homo sit fortis ad resistendum Diabolicis tentationibus; ut sit aptus ad actiones hierarchicas, quæ sunt administrationes Sacramentorum.

370. *Quæ sunt munera Characteris?* ℟. Inter alia sunt hæc: I. Character aptum facit ad cultum Divinum; *omnis enim character est potestas spiritualis, & supernaturalis reddens hominem, speciali consecrationis ministeriô, aptum ad cultum Divinum Christianô ritu peragendum.* II. Character configurat nos Christo, & similiores nos facit illi, quàm alii, qui tales non habent characteres, *vg.* Character Baptismi, conformat nos Christo, ut supremo Pastori, cujus oves sumus. *Character Confirmationis*, ut Supremo Duci militiæ spiritualis. *Character Ordinis*, ut Supremo Sacerdoti & Pontifici. III. Character distingvit ab aliis; *vg. baptizatus*, distingvitur ab Infideli. *Confirmatus*, distingvitur à debilibus, & inermibus in militia Christi. *Ordinatus*, distingvitur à Laicis.

De Intentione & Attentione.

371. *Intentio requisita ad conficienda Sacramenta, quid est?* ℟. Est voluntas determinata conficiendi Sacramentum, & faciendi id, quod intendit Christus, vel quod facit Ecclesia, in conficiendis Sacramentis.

372. *Intentio ut sic, (& generice sumpta)*



quid est? ℟. Est actus voluntatis nostræ, per media tendens ad finem.

373. *Intentio quotuplex est?* ℟. Est 3plex: Actualis, virtualis, & habitualis.

374. *Quid est Intentio actualis?* ℟. Est actus voluntatis, quô quis actu, & formaliter intendit facere, *vg.* volens actu conficere Sacramentum.

375. *Quid est Intentio virtualis?* ℟. Est actus voluntatis Physicè præteritus, moraliter tamen & virtualiter manens, in actionibus ad eundem finem spectantibus. vel breviùs: *est Intentio physicè præterita, moraliter tamen manens in sua virtute, & in effectu. vg. Si quis factâ actuali intentione celebrandi Missam, & conficiendi Sacramentum Eucharistiæ; manus lavet, induat Sacras vestes, calicem & Missale præparet; licèt postea in ipso actu consecrationis ex humana fragilitate distrahatur, non factâ actuali intentione, reverà tamen consecrat; quia habet intentionem virtualem consecrandi. Ratio; quia Intentio facta ante celebrationem, moraliter durat in prædictis actibus externis, ordinatis ad Sacramentum.*

376. *Quid est Intentio habitualis?* ℟. Est illa intentio, quæ neq; Physicè, neq; moraliter manet; licèt non retractata, tamen interrupta moraliter, per actiones disparatas *vg. Si quis factâ intentione celebrandi Missam, interrumperet illam somnô, vel scriptione literarum.* Talis intentio non sufficit ad conficiendũ Sacramentũ absq;

nova

nova intentione; quia per somnum, & alia opera disparata & impertinentia, censetur moraliter esse interrupta. *Secundùm Philosophos; Intentio habitualis, est illa, quæ nascitur ex frequentatis actibus; & est: ipse habitus ortus, ex frequenti administratione Sacramentorum.*

377. *Ex prædictis intentionibus, quæ requiritur ad conficienda Sacramenta?* ℟. Actualis est optima; virtualis est sufficiens; habitualis verò non sufficit. *Est Comm: DD.*

378. *Sine Intentione, an validum est Sacramentum?* ℟. Est invalidum; *Ratio,* quia intentio actualis, vel saltem virtualis essentialiter & necessariò requiritur ad conficienda Sacramenta; *Unde secundùm quosdam Authores; Intentio est essentiale constitutivum Sacramenti; secundùm alios est conditio essentialiter requisita, ad valorem Sacramenti.*

379. *Intentio, quò differt ab attentione?* ℟. Intentio & attentio aliquando confunduntur; revera tamen inter se differunt per hoc: *quia, intentio est actus voluntatis; nimirum: affectus, volitio, & propositum aliquid faciendi; v.g. orandi, vel conficiendi Sacramentum. Attentio verò, est actus intellectûs; est enim consideratio & advertentia mentis ad orationem exteriùs prolatam, vel ad objectum ejus.*

380. *Attentio quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Interna & externa.

Attentio Interna; Est præsentia animi adver-

tentis ad id, quod agitur. *Et est actualis, vel virtualis, vel ad verba, vel ad sensum literalem verborum, vel ad præsentiam Dei, Christi Domini, Beatissimæ Virginis &c.*

Attentio Externa; est externa corporis compositio, abstinendo ab externis operibus, quae impediunt internam attentionem *vg. non esset attentio externa, si quis orando simul scriberet, vel pingeret, vel confabularetur, &c.*

381. *Attentio interna est 3plex: Prima*; quâ attenditur ad actiones alicujus boni operis; *vg.* in Missa ad actiones Sacerdotis. *Secunda*; quâ attenditur ad significationem verborum. *Tertia*; per quam mens ad Deum elevatur; scilicet contemplando mysteria, quae exprimuntur per verba & actiones. *Porro: Optimum esset opus, si hæc 3plex attentio interna esset. Interim ex hac 3plici attentione, ad fructuosum bonum opus; Prima attentio, omnino est necessaria? Secunda, est melior; Tertia, est optima.*

TRACTATUS XI.

De Sacramentis in Particulari.

CAPUT I.

De Baptismo.

382. *QUid est Baptismus? (intellige ut est Sacramentum)* ℞. Est Sacramentum regenerationis, per quod fit ablutio corporis exterior, facta sub præscripta forma verborum. *Dicitur: ut est*



est Sacramentũ; quia solus Baptismus fluminis, est Sacramentũ; *jã verò Baptismus flaminis & sangvinis, non sunt Sacramenta, sed sunt virtutes morales; vocantur tamen Baptismus, ex eo; quia supplent vices Baptismi in re.*

383. *Quotuplex est Baptismus?* ℟. Est 3plex: Fluminis, Flaminis, & Sangvinis.

Baptismus Fluminis; qui confertur in aqua naturali; *definitus est, ut supra immediatè.*

Baptismus Flaminis; est desiderium seu votum, Baptismi Sacramentalis, inclusum in perfecta contritione peccatorum, vel in amore Dei super omnia. *Nota: Baptismus flaminis valet in casu, in quo deest commoditas suscipiendi Baptismum in re.*

Baptismus Sangvinis; est martyrium & mors tolerata ex amore fidei Domini Nostri Jesu Christi. *Porro; Martyrium supplet vicem Baptismi, & ex speciali privilegio, omnia delet peccata.*

384. *Circa prædictos tres Baptismos, hæc sunt notanda:*

I. *Baptismus fluminis*; ideo talis vocatur, quia fit cum aqua Elementari, quæ ut plurimum est *ex flumine*; & ipse Christus est in flumine baptizatus, quamvis & ex mari, fontibus, puteis, lacubus, & stagnis, possit aqua adhiberi; *v. n.* 387.

II. *Baptismus flaminis*; denominatur à flatu, seu spiratione, & suspirio; quod indicat magnum desiderium alicujus rei.

III. *Baptismus Sangvinis*; denominatur ab effusione Sangvinis, quæ solet fieri in martyrio.



IV. *Dictum superiùs; quòd contritio perfecta, & amor Dei super omnia, includant votum, seu desiderium Baptismi Sacramentalis; Horum ratio est;* quia hi duo actus sunt virtualis voluntas adimplendi omnia præcepta Divina (*suppositâ eorum notitiâ, & negatione impedimenti*) inter quæ præcepta comprehenditur etiam susceptio Baptismi Sacramentalis. *Unde Baptismus flaminis præcisè secundùm se non potest justificare;* sed ut justificet, necessariò debet esse inclus9 in contritione perfecta, vel in amore Dei. *Ratio,* quia solis his duobus actibus privilegium concessum est; ut extra Sacramentum justificent.

385. *Sacramentum Baptismi, quando est institutum à Christo Domino?* ℟. Est institutũ ante Passionem Christi, quando in Jordane baptizatus est. *Obligatio verò suscipiendi Baptismum,* omnibus hominibus indicta est post Resurrectionem Christi; quando Christus apparens Discipulis, dixit: *Matth:* 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris, & Filii &c. Ita Doctores.*

386. *Materia Baptismi, quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Materia Remota & Proxima.

Materia Remota Baptismi; est aqua naturalis seu Elementaris.

Materia Proxima Baptismi; est ablutio, quæ fit mediante aquâ naturali. Et hæc externa corporis ablutio potest fieri tribûs modîs: *per immersionem, infusionem, & notabilem aspersionem.* Ex his

tri-

tribus modis servandus est modus secundùm praxim ritûs diversi.

387. *Materia Baptismi Remota, quotuplex est?* ℟. Est 3plex: certa, Dubia, & inepta.

I. *Materia certa*; est aqua elementaris seu naturalis; uti sunt: *Aqua maris, fluminis, fontis, stagni, pluviæ, roris, pruinæ non concretæ, nivis, & glaciei, liquefactarum &c. Hæc aqua naturalis, ut sit idonea extra casum necessitatis, debet esse aqua benedicta de fonte Sacro; secus, in casu necessitatis, sufficit aqua simplex naturalis non benedicta.*

II. *Materia dubia*; quâ Sacerdos potest uti in casu necessitatis, deficiente aquâ naturali; ita tamen, ut Baptismus fiat sub conditione saltem mente concepta: *Si materia hæc idonea est ad baptizandũ, ego te &c.* Materiæ dubiæ sunt hæ: *Aqua ex herbis, & floribus; per stillationem elicita; brodium non adeò spissum, lixivium leve, cerevisia tenuis; lutum non admodum spissum, atramentũ non adeò spissum, ex aqua confectum &c.*

III. *Materia inepta*; quâ Sacerdos nullatenus potest uti, etiam in casu necessitatis, uti sunt: *Vinum, lac, cerevisia, spissa, mel, oleum, crematum, saliva, lacrymæ, sudores, lixivium forte, brodium spissum, lutum densum, nix, & glacies non resolutæ, &c.*

388. *Quæ est forma Baptismi?* ℟. Sunt hæc verba: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* Hæc forma non differt substantiali-

ter à forma Græcorum: *Baptizetur servus Christi, in Nomine Patris &c. Adverte, quæ formæ sunt sufficientes & quæ non sufficientes? de hac materia fusè tranctant Casistæ; sciendum tamen est, ut sit forma certa & sufficiens, debent hæc exprimi:* I. Persona baptizantis saltem implicitè. II. Ipse actus baptizandi. III. Persona baptizanda; quia sicut ablutio, ita forma debent versari circa certam personam. IV. Unitas naturæ Divinæ. V. Trinitas Personarum Divinarum, explicitè & dinstinctè, vulgaribûs vocabulîs.

389. *Quod est subjectũ capax Baptismi?* ℟. Est solus homo vivens, ab Adamo descendens, nondum baptizatus.

390. *Quis est Minister Baptismi ordinarius?* ℟. *Minister ordinarius, ex officio, & solemnitatis*, est solus Parochus, vel alius Sacerdos eô concedente. *Unde extra casum necessitatis, si quis sine licentia Parochi, vel Episcopi, tanquam supremi Parochi, baptizaret; mortaliter peccaret contra justitiam; siquidem ageret contra officium alterius, nisi excusaret eum licentia præsumpta Parochi.*

391. *Quis est Minister Baptismi extraordinarius, & necessitatis?* ℟. Minister necessitatis est omnis homo habens usum rationis, potens & sciens formam proferre, & materiam applicare, servatô tamen Ordine dignitatis; *vg.* præfertur Diaconus subdiacono, Clericus Laico, vir præfertur fœminæ &c. *Hunc ordinem prævertere inter Ministros*

ſtros neceſſitatis, quamvis non ſit grave peccatum (quia nulli ex officio jus competit baptizandi, præterquam Sacerdoti) tamen ex miniſtris neceſſitatis baptizet ille, qui eſt peritior, & expeditior, ſi mulier ſit peritior virô (uti paſſim ſunt obſtetrices) debet illa baptizare.

392. *Qui ſunt effectus Baptiſmi?* ℟. Inter alios ſunt ſequentes:

Primus effectus; eſt gratia ſanctificans, per quam fit remiſſio omnium peccatorum tam originalis, quàm aliorum peccatorum perſonalium ante Baptiſmum commiſſorum. *Item*, remiſſio abſoluta pœnæ iisdem peccatis debitæ. *Ita Con: Flor: & Trid:*

Secundus effectus, eſt character ſupernaturalis, & indelebilis; qui etiam poſt mortem manebit in damnatis ad confuſionem, in Beatis ad decorem & ornamentum.

Tertius effectus; eſt ſublatio omnis Irregularitatis, præter eam, quæ orta fuit ex Bigamia; & exceptìs illìs, quæ proveniunt ex defectu corporis. *Inſuper*, tollit omnem infamiam. *Ita comm: DD.*

393. *Baptiſmus quomodo eſt neceſſarius, ad ſalutem?* ℟. Eſt neceſſarius neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti. *Ratio*, quia ſine baptiſmo in re, vel in voto, non poteſt ſalus obtineri, & obligat adúltos, ut quàm primùm moraliter loquendo commodè & dignè poſſunt, recipiant Baptiſmum, vel ſaltem non multô tempore differant.

394. *Baptiſmus, an eſt validus, ſi aqua veſtes tantùm attingat, aut aliud aliquid, non verò*

rò corpus? ℟. Non est validus. *Item*, non est validus, si aqua attingat solos Capillos. *Bonac: tom: 1. fol: 48. num: 21. & 22.* II. Non valet Baptismus, si infans ad sacrum fontem allatus, ante ablutionem moriatur. III. Si infans à proferente formam in flumen projiceretur vel in puteum; (*quamvis hoc illicitum est*) tamen valet Baptismus. IV. Si infans fune mittatur in flumen, & vivus extrahatur, potest donominari ablutus, & valere Baptismus. V. Valet Baptismus, quando in casu necessitatis infans, aquæ è tecto defluenti, submittitur, & forma cum intentione profertur *&c.*

395. *Si infans haberet duo capita cum uno pectore, vel duo pectora, cum uno capite, quomodo est Baptizandum tale monstrum?* ℟. 2plex: Baptismus debet conferri unus absolutè in una parte, in qua perfectius caput, vel pectus apparet; alter cum conditione in altera parte. *Ratio*, quia in tali monstro potest reperiri 2plex anima. *Plures casuum resolutiones circa Baptismum, vide apud Casistas.*

CAPUT II.

De Confirmatione.

396. *Quid est Confirmatio?* ℟. Est Sacramentum novæ Legis, quô homo baptizatus inungitur Sacrô chrismate, ab Episcopo, sub præscripta forma verborum ut confirmetur, & roboretur in fide.

397. *Confirmationis materia quotuplex est?* ℟. 2plex: Remota, & Proxima.

Materia Remota; est chrisma confectum ex o-



leo olivarum & balsamo simul, idq; ab Episcopo consecratum.

Materia proxima; est unctio facta in fronte baptizati in formam crucis.

398. *Confirmationis quæ est forma?* ℟. Sunt verba hæc: *Signo te Signô Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen.*

399. *Quis est Minister Confirmationis?* ℟. Est solus Episcopus.

400. *Quot sunt effectus Confirmationis?* ℟. Sunt effectus tres: *Duo effectus primi sunt,* ex vi ipsius Sacramenti secundùm se sumpti isti: *Gratia & Character. Tertius effectus* est, ex impositione Ecclesiæ; scilicet: *cognatio spiritualis similis, quæ oritur ex Sacramento Baptismi. Ita Trid:*

401. *In Confirmatione quot debent esse Patrini?* ℟. Patrinus sufficit unus, ad summum tamen unus & una, & non plures.

402. *Cognatio Spiritualis in Confirmatione, inter quos contrahitur?* ℟. Contrahitur inter Confirmantem & confirmatum; confirmatiq; Patrem ac Matrem. Inter susceptorem, & susceptum, susceptiq; Parentes. *Idem dicendum de Baptismo,* scilicet: inter baptizantem, & baptizatum, baptizatiq; Parentes. Inter susceptorem, & susceptum; susceptiq; Parentes.

403. *In Confirmatione assumere Patrinum, an est de necessitate præcepti?* ℟. Est de necessitate

præ-

præcepti, quòd transgredi eſt peccatum mortale. *Ita Silves: & alii.*

404. *Ob quam rationem inſligitur alapa in Confirmatione?* ℞. Ex hac ratione, ut confirmatus intelligat ſe debere, eſſe paratum ad crucem, ad ignominiam, & ad alia ardua ſuſtinenda propter amorem Chriſti.

CAPUT III.

De SS. Eucbariſtia.

SECTIO I.

De Eucbariſtia, ut eſt Sacramentum.

405. *Eucbariſtia quid eſt?* ℞. Eſt Sacramentum Corporis & Sangvinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, divinitùs inſtitutum ad ſpiritualem animæ refectionem.

406. *Eucbariſtia, an eſt Sacramentum reliquîs excellentius?* ℞. Certum eſt eſſe excellentius, & in ſe excellentiſſimum.

407. *Eucbariſtia, quò differt ab aliis Sacramentis?* ℞. Differt: I. Quia alia Sacramenta ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ ſanctificantis animam; Eucbariſtia verò non tantùm ſignificat gratiam, ſed etiam ſignificat Chriſtum Authorem gratiarum. II. Omnia Sacramenta ſunt ſucceſſiva; Eucbariſtia verò ſola, eſt Sacramentum permanens.

408. *Eucbariſtia quando fuit inſtituta à Chriſto Domino?* ℞. In Cæna Domini, quando dixit

Diſci-

Discipulis: *Accipite & manducate &c.*

409. *Eucharistiæ, quæ est materia remota & proxima?* ℞. *Materia remota;* est panis triticeus, & vinum de vite.

Materia proxima, sunt species panis & vini. *Ita communiter omnes DD.*

410. *Quæ est forma Eucharistiæ?* ℞. Forma est 2plex: *Una* forma est Panis: *Hoc est enim Corpus meum.* Secunda forma est Vini: *Hic est enim Calix &c.*

411. *Quæ sunt de essentia hujus Sacramenti?* ℞. I. Species panis & vini, sunt Constitutiva Eucharistiæ. II. Corpus & Sangvis Christi sunt constitutiva. III. Unio Corporis & Sangvinis Christi cum speciebus est de essentia. IV. Transubstantiatio requiritur essentialiter. V. Intentio Ministri requiritur essentialiter. VI. Sumptio Eucharistiæ non est de essentia; quia ante sumptionem & usum, SS. Eucharistia habet suam adæquatam substantiam, quò ad omnes suas perfectiones, & ante sumptionem, est cibus completus. VII. Substantia panis & vini, non est de essentia hujus Sacramenti. *Ratio*, quia Panis & Vinum sunt materia remota, jam verò materia remota de nullius Sacramenti est essentia.

412. *Eucharistiæ quis est Minister proprius & legitimus?* ℞. Solus Sacerdos ritè ordinatus, nullum habens impedimentum.

413. *Eucharistiæ qui sunt effectus?* ℞. Primarius & principalis effectus, est gratia habitualis sanctificans cum omnibus donis, & virtutibus super-

natu-



naturalibus. Ex qua gratia habituali sequuntur effectus sequentes: I. Spiritualis refectio. II. Præservatio à peccatis mortalibus (*ex Trid:*) *Ratio, quia confert gratiam abundantiorem, replet animã dulcedine, fugat Dæmones, dat specialia lumina, diminuit fomitem & concupiscentiam.* III. Remissio peccatorum venialium. *Ita Triden: Sess: 13. c. 3. dicit: per illud condonari leviora peccata.* IV. Adeptio gloriæ, est etiam aliquo modo effectus Sacramenti Eucharistiæ; quia S. Scriptura testatur: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.*


414. *Ad sumptionem Eucharistiæ quot sunt requisita?* ℟. Sunt tria: I. Immunitas à peccato, & hoc requisitum est de necessitate. II. Elevatio mentis ad Deum, per fervidas orationes & devotiones. III. Munditia corporalis. *Et hæc duo requisita sunt de congruitate.*

415. *Eucharistia quot modîs potest suscipi?* ℟. Quatuor modîs; scilicet: Corporaliter, Spiritualiter, Sacramentaliter & Corporaliter, Sacramentaliter, corporaliter, & spiritualiter simul.

Corporaliter, seu materialiter; tunc fit; *vg.* Si quîs Infidelis sumeret Eucharistiam non credens ibi esse Corpus Christi verum.

Spiritualiter, tunc; vg. Si fidelis audiendo Missam cum devotione, excitaret in corde suo desiderium suscipiendi Eucharistiam.

Sacramentaliter Corporaliter; tunc, quando Christiani sumunt Eucharistiam Sacrilegè, existentes in peccato mortali. *Sacra-*



Sacramentaliter, corporaliter, & spiritualiter simul; tunc: quando Christiani sine peccato in gratia existentes cum fervore, & devotione sumunt Eucharistiam; *qui ex tali perceptione recipiunt augmentum gratiæ in hoc mundo, ut æternam mercedem recipiant in Patria Cœlesti.*

416. *Sacramentum Eucharistiæ contentum sub utraq; specie, an est unum Sacramentum, vel duo?* ℟. Scienda sunt hæc: I. *Sacramentum hoc sub utraq; specie, est unum unitate specificâ, & unitate individuali morali, totali integraliter. Ratio est; tum quia,* Concilia vocant hoc Sacramentum in singulari, *ergo. Tum quia,* hoc Sacramentum est institutum per modum convivii, & refectionis unius totalis, totalitate morali: *Ergo.* II. *Sacramentum hoc, sub utraq; specie, sunt defactò duo Sacramenta partialiter, inter se distincta. Ratio;* quia sunt realiter seperabilia, priùs enim consecratur Panis, quàm Vinum. III. *Sacramentum sub speciebus panis, & sub speciebus vini, sunt duo partialia Sacramenta distincta etiam speciæ morali formali. Ratio;* quia diversam specie habent Symbolicam supernaturalem significationem; *species enim vini significant* formaliter præsentiam Christi tanquàm potûs substantialis; *jam verò species panis significant* præsentiam Christi, tanquam cibi substantialis roborantis animam, *Ergo.*

417. *Laici quomodo sub una specie, totum & unum, Sacramentum recipiunt?* ℟. Recipiunt u-

num, & totum, quò ad substantiam. *Ratio*; quia sub qualibet specie est totus Christus saltem concomitanter; licèt non recipiant totum quò ad modum. *V. n.* 426.

418. *Quæ sunt observanda circa materiam remotam Corporis Christi?* ℟. Sequentia: I. Materia remota Sacramenti hujus: est panis triticeus; *Per nomen Tritici*, excluduntur: *milium*, *Avena*, *Hordeum*. Idem dicendum: *de Pane facto ex fabis, amigdalis, pisis, castaneis, cicere, & de aliis omnibus, quæ speciè differunt à tritico.* II. Non quilibet panis triticeus est materia sufficiens hujus Sacramenti, sed debet esse panis confectus ex aqua naturali, & debet esse coctus. *Unde massa cruda non est materia sufficiens*; quia licèt substantialiter vix differat à pane cocto, tamen non est panis usualis, neq; vocatur propriè panis. *Item*; panis triticeus confectus aquâ rosaceâ, vel butyrô, vel melle, vel aliô aliquô artificiali liquore, non est materia sufficiens. *Ratio*; quia non est panis simpliciter, & usualis. *Item*; Panis triticeus tinctus colore rubrô (*qualis adhibetur pro literis obsignandis*) non est materia certa, sed ad summũ dubia. *Ratio*; quia licèt physicè tantùm accidentaliter mutetur; cùm tamen vix censeri potest panis usualis; ideo videtur mutari substantialiter moraliter. III. Eucharistia potest confici in pane triticeo tam in azymô, quàm in pane fermentatô, tamen quilibet obligatur se accommodare suæ Ecclesiæ; id est: *Sacerdos Latinus* debet consecrare in azymo; quia tale

est præceptum Ecclesiæ: *Græcus*, in fermentato; quia talis est usus Ecclesiæ Græcæ. IV. Si pani triticeo sit immixta farina alterius speciei, ita, ut maneat panis triticeus, potest esse materia consecrabilis; secùs, si non maneat.

419. *Quæ sunt observanda circa materiam remotam calicis?* ℟. Sunt hæc: I. *Vinum sive sit nigrum, sive album*, dummodo sit vinum de vite, est materia certa, & sufficiens. *Ratio*, quia hæc, licèt differant specie physicâ, non differunt tamen specie morali; utrumq; enim vinum est de vite. II. *Vinum actu congelatum*, est materia sufficiens. *Ita Bonacina, Tamburinus &c. Ratio*, quia ex se, & ex natura sua, est potabile, *ergo. Tum quia*; Dum post consecrationem species vini congelantur, defactò manet sub illis Sangvis Christi, *ergo*, similiter. III. *Vinum miraculosè factum*, (*quale fuit in Cana Galilææ*) est materia sufficiens. *Ratio est*; quia tale vinum est usuale, & saltem in actu primo, est de vite. IV. *Vinum conditum aromatibûs*, si sit valde notabilis mixtio, est materia dubia; quia dubium est, nonne amiserit denominationem vini usualis. V. *Vinum expressum ex pomis, vel aliis rebus*; est materia simpliciter inepta; quia neq; est vinum, neq; potus usualis. VI. *Succus adhuc in uvis existens*, non est materia sufficiens; quia in æstimatione hominum potiùs est cibus, quàm potus. VII. *Mustum*, dummodo non sit fæculentum, aut impurum, est materia sufficiens; secùs, si quis consecraret in musto fæculento, &

impuro committeret peccatum ex suo genere mortale. *Ita Bonac: tom: 1. fol: 77. n. 1. & seq:* VIII. *Vinum, si acescat*, est materia dubia. *Ratio*; quia potest dubitari nonne prorsus vinum sit corruptum, & versum in acetum.

420. *Quæ sunt observanda, de aqua admiscenda vino?* ℟. Sunt hæc: I. *Mixtio aquæ, non est de necessitate Sacramenti. Ratio*, quia valida est consecratio sine admixtione aquæ; *est tamen de necessitate præcepti*; quia hanc mixtionem Ecclesia præcepit. Unde Sacerdos peccaret graviter, si liberè aquam non admisceret, vel si misceret aquam artificiosam, locò naturalis. *Ratio*, quia licèt quantitas aquæ miscendæ sit levis; significatio tamen ejus, & mysterium est grave; repræsentat enim aquam fluentem è latere Christi, & unionem Ecclesiæ cum Christo. II. *Aqua mixta vino utrum immediatè convertatur in Sangvinem Christi, an mediatè?* Variant, & disputant, pro, & contra Theologi speculativi; moralibus non est utile circa hoc desudare; sufficit scire: *quòd necessariò requiratur mixtio aquæ, ex præcepto Ecclesiæ.*

421. *Materia consecranda quomodo debet esse præsens Sacerdoti consecranti?* ℟. Debet ita esse præsens, ut secundùm communem loquendi modum, possit verè, & propriè designari, & monstrari materia, per particulam: *hoc, vel hic. Unde*, sonus verborum, non debet necessariò pertingere materiam consecrandam; proinde potest validè consecrari vinum in calice cooperto, & hostiæ in pyxide

con-

contentæ; quia ſecundùm communem uſum loquendi, res contenta ſolet ſignificari per immediatè continentem. *Ratio*; quia in hoc caſu, & ſimilibus poteſt eſſe propria demonſtratio per particulam: *hoc.*

422. *Quæ ſunt obſervanda, de quantitate determinata materiæ?* ℟. Sunt hæc: I. Materia conſecranda debet eſſe aliquando determinata & definita in mente Sacerdotis conſecrantis, &, ut licitè fiat, debet eſſe ſecundùm communem uſum, & ritum Eccleſiæ. II. Quælibet pars quantitatis ſenſibilis, poteſt eſſe materia hujus Sacramenti. *Item* quælibet magna quantitas præſens conſtituta, poteſt conſecrari validè, ſed non licitè. III. Sacerdos, quando intendit, quartam tantùm partem hoſtiæ, vel medietatem conſecrare, ſine ulla diviſione; nil conſecrat. *Item*, ſi ex decem hoſtiis, vellet quinquè tantùm conſecrare, in confuſo, ſine ex diviſione, & determinatione, nullam conſecrat. *Ratio univerſalis; quia forma conſecrationis debet cadere ſuper materiam certam, & determinatam.* IV. Sacerdos habens hoſtias 20. ſi vellet conſecrare decem illas, quas Deus determinaret; ipſe verò Sacerdos nullas determinaret; neq; eſt licita, neq; valida conſecratio; *Ratio eadem*; quia non eſt materia determinata ab ipſo Sacerdote, neq; habet intentionem determinatam, neq; ſcire poteſt, quæ illæ eſſent conſecratæ; *Ergo.*

De Actione Converſiva.

423. *Quid eſt Actio Converſiva? ſeu Tranſ-*



substantiatio? ℟. Potest describi sic: *est actio supernaturalis, per quam tota substantia secundùm omnes suas partes substantiales, convertitur in aliam substantiam, solis accidentibûs manentibûs.*

424. *In Sacramento Eucharistiæ, an fit vera conversio panis & vini, in Corpus & Sangvinem Christi?* ℟. Reverà fit talis conversio. *Est de fide, & definitum in Trident: Sess: 13. c. 4. & Can: 2.* Unde in consecratione, tota substantia panis & vini desinit, & tantùm manent species, id est: *accidentia panis & vini, sine subjecto substantiali. Hæc autem actio conversiva, est simul actio conservativa accidentium sine subjecto, & simul quasi unitiva accidentium cum Corpore & Sangvine Christi; ita, ut ubicunq; ponantur accidentia, ibi ponatur Corpus & Sangvis Christi Domini, & tamdiu manet Corpus, & Sangvis Christi, sub iisdem speciebûs Sacramentaliter, donec corrumpantur species.*

425. *Quomodo Christus existit sub his speciebus?* ℟. Existit *definitivè Sacramentaliter; hoc sensu*: quatenus totus sit sub tota hostia, & totus sub qualibet parte hostiæ. *Non existit tamen circumscriptivè;* ita ut singulæ partes sint extra se invicem positæ, & singulæ distinctum spatium occupent. *Dicitur: Definitivè Sacramentaliter;* id est: mirabiliori modô, quàm aliæ ubicationes definitivæ; quia ubicatio definitiva propriè, tunc est,

quan-



quando totum existit in toto loco, & totum in quavis parte loci, ita, ut non existat alibi; jam verò Christus Dominus, ita existit in Eucharistia, ut existat alibi; *consequenter non definitur, seu non terminatur spatiô loci, sicut anima, & Angelus.*

426. *Quomodo hoc debet intelligi, quòd totus Christus sit sub speciebus panis, & totus sub speciebus vini?* ℟. Debet intelligi hôc modô: *quòd Corpus Christi Domini vi verborum, ponatur formaliter sub speciebus panis;* reliqua verò scilicet: Sangvis Christi & Divinitas, *concomitanter; similiter quòd Sangvis Christi Domini; vi verborum ponatur formaliter sub speciebus vini;* reliqua verò, scilicet: Corpus Christi, & Divinitas, *concomitanter. Porro: Hæc concomitantia,* fundatur vel in unione physica, vel in connexione naturali. *Ratio,* quia unionis talis est natura, ut uniat, & connectat extrema; ita, ut illa durante, ubi unum extremum ponatur, ibidem necessariò ponatur etiam aliud extremum.

SECTIO II.

De Eucharistia, ut est Sacrificium, seu de Missa.

§ 1mus

De Sacrificio ut sic: seu in genere.

427. *Quid est Sacrificium ut sic?* ℟. Est actus externus Religionis, per quem res aliqua, certô ritu, & ceremoniâ Deo offertur, immolatur & destrui-

tur ad protestandum supremum Dei Dominium, & in recognitionem servitutis nostræ.

428. *Ad rationem Sacrificii, quæ sunt requisita?* ℟. Sunt hæc: I. Ut oblatio sit rei sensibilis. II. Ut hæc res soli Deo offeratur; quia solus Deus habet supremum Dominium. III. Ut res oblata, aliquomodo destruatur; *ut constat ex veteribus Sacrificiis; in quibus animalia occidebantur, liquores fundebantur, &c.* IV. Ut hæc destructio fiat, in recognitionem supremi Dominii, & in recognitionem servitutis nostræ.

429. *In lege veteri quot erant Sacrificia?* ℟. Erant multa; præcipua erant hæc: I. *Victima, seu Hostia;* & hæc erat ex animalibus occisis, vel consumptis, *vg.* bobûs, columbîs, ovibûs &c. II. *Immolatio;* & hæc erat ex rebus inanimatis solidis. *vg.* Frugibûs, panibûs. III. *Libamen;* & hoc erat ex liquidis, *vg.* Vinô. IV. *Holocaustum;* & hoc erat Sacrificium perfectissimum, in quo tota res oblata, in ignem resoluta, sursum ascendebat ad detestandum omnia ex gratia Dei esse, & omnia illius esse. V. *Hostia pacifica;* quæ offerebatur pro beneficiis acceptis in particulari, in gratiarum actionem. VI. *Latreuticum;* quod per se exhibebatur ad cultum, & honorem Dei. VII. *Propitiatorium;* quod offerebatur pro peccatis præteritis. VIII. *Eucharisticum;* quod offerebatur in gratiarum actionem, pro beneficiis in communi. IX. *Impetratorium;* quod offerebatur, pro obtinendis futuris bonis, vel malis avertendis.

In-

Infer: Hæc & alia Sacrificia veteris legis cessaverunt in lege gratiæ; consequenter, neq; sunt licita, neq; valida, & esset superstitiosum aliquô ex illis uti.

430. *Sacrificium, quomodo se habet respectu Missæ?* ℟. Sacrificium est genus respectu Missæ; Missa verò est species Sacrificii. *Unde*, omnis Missa est Sacrificium; non tamen omne Sacrificium est Missa. *Proinde? Missa est Sacrificium tantùm unicum novæ Legis omnibûs Sacrificiis perfectius, continens in se perfectiones omnium Sacrificiorum veteris testamenti. v. de hoc n. 452.*

§ 2dus.

De Sacrificio Missæ.

431. *Quid est Missa?* ℟. Missa, *quò ad nomen*, dicitur à mittendo; quia per illam mittitur legatio, aut hostia Deo. *Quo ad rem potest desribi* sic: *est Sacrificium novæ legis, in quo Corpus & Sangvis Christi sub speciebus panis & vini offertur, immolatur, & sumitur.* Vel brevius: *est Sacrificium Incruentum consistens in consecratione panis & vini. Dicitur: Incruentum*; quia Sacrificium cruentum peractum est à Christo Domino, in ara crucis, per effusionem Sangvinis.

432. *Missa, an est cultus Latriæ?* ℟. Est cultus Latriæ; quia exhibetur soli Deo in recognitionem supremi Dominii Dei, & in signum nostræ servitutis.

433. *Missa an est instituta à Christo Domino?* ℟. Missa quò ad substantiam instituta est in ultima

Cæ-

Cæna; quò ad ceremonias verò, est instituta ab Ecclesia; *ex Trid: Sess:* 22. *Bonac: tom:* 1. *fol:* 120. *n.* 4.

434. *Quid intelligitur per Missam?* ℟. Per Missam intelligitur totus ille ritus, quem Sacerdos peragit ad altare ab initio, usq; post sumptionem Corporis, & Sangvinis Christi.

435. *Missa respectivè, quò ad suos effectus, quale est Sacrificium?* ℟. Potest considerari præcipuè 5*plex*: *Latreuticum*, *seu laudis*; quod offertur in recognitionem supremi Dominii Dei, & in signum nostræ servitutis. *Eucharisticum*, *seu Gratiarum actorium*; quod offertur Deo pro collatis gratiis; *Impetratorium*; quod offertur pro impetratione beneficiorum Dei. *Satisfactorium*, quod offertur pro remissione peccatorum. *Tandem est*, *Propitiatorium*; quatenus per Missam impetramus gratias, & auxilia, ad faciendam veram pœnitentiam pro peccatis.

436. *Sacrificium cruentum in cruce oblatum an fuit propriè dictum Sacrificium?* ℟. Fuit propriè Sacrificium, in quo Christus erat Sacerdos, & ipse Christus Dominus Victima; secundùm illud: *ad Ephes:* 5. *Tradidit se ipsum pro nobis in oblationem*, & *hostiam*. *Unde constat*, quòd in Lege nova sit 2plex Sacrificium: *Cruentum*; in quo effusus est Sangvis à Christo Domino in cruce, pro salute nostra. *Incruentum*, in quo non effunditur Sangvis; & tale Sacrificium est unicum; scilicet Missa. *V.* 452.



437. *Missa an habet rationem proprii Sacrificii?* ℟. Certum est, quòd habeat: *est de fide, contra hæreticos. Ratio, tum quia,* ita est definitum *in multis Conciliis, novissimè in Trident: Sess: 22. Can: 1. Tum quia,* Missa habet omnia requisita proprii Sacrificii. I. Est ceremonia Sacra â Christo instituta, tunc; quando Eucharistia est instituta. II. Post consecrationem fit destructio rei sensibilis sufficiens ad Sacrificium, scilicet quamvis res oblata physicè non destruatur, tamen destruitur moraliter, quatenus fit potus & cibus spiritualis ex Corpore & Sangvine Christi. III. Hæc tota actio fit in protestationem supremi Dominii Dei, & nostræ ad eum subjectionis.

438. *Sacrificium Missæ, an est idem, vel diversum cum Sacrificio crucis?* ℟. *1mo: est idem numerô, quò ad præcipuam substantiam rei oblatæ, & quò ad principalem offerentem. Ratio;* quia in utroq; hoc Sacrificio est idem Christus, res præcipua oblata, & principalis offerens. *Item,* quò ad motivum, seu finem principalem ac intrinsecum; hæc duo Sacrificia sunt ejusdem speciei; quia utrûq; est ad eundem cultum Dei.

℟. 2do: *quò ad modum & ritum,* hæc duo Sacrificia sunt diversa. *Tum quia,* in Cruce fuit cruentum, in Missa est Sacrificium incruentum. *Tum quia,* in cruce Sacrificium erat sub propria specie Christi; in Missa verò sub forma panis & vini. *Tum quia,* in cruce offerebatur Christus mortuus, passibilis, extensus *&c.* in Missa offertur im-

mor-



mortalis, impassibilis, inextensus *&c.* *Tum quia,* in Cruce Christus offerebat solus per se ipsum; in Missa offert per Sacerdotem instrumentaliter operantem *&c.* *&c.*

439. *Quot sunt partes essentiales Sacrificii Missæ?* ℟. Sunt tres: Consecratio, oblatio, & sumptio Eucharistiæ.

440. *Sacrificium Missæ, in quo conveniunt cum Sacramento Eucharistiæ, & in quo disconveniunt?* ℟. *1mo: conveniunt in his:* I. Quia eadem realiter est actio, per quam ponuntur; scilicet eadem consecratio. II. Utrobiq; est unus terminus ultimatus actionis, scilicet idem Christus sub speciebus panis & vini. ℟. *2do: Disconveniunt verò in his:* I. Quia Sacramentum includit aliqua, *vg.* species panis & vini, quæ non includit Sacrificium. II. Quia Sacramentum ex opere operato prodest soli sumenti; Sacrificium verò non tantùm prodest sacrificanti, sed etiam aliis; quamvis non sint sacrificantes, neq; sumentes. III. Quia Sacramentum principaliter, & per se immediatè ordinatur ad nostram utilitatem, id est: ad sanctificandos nos homines; jam verò Sacrificium, primariò & per se, est institutum ad cultum Dei, & in protestationem supremi Dominii Dei; secundariò verò, & per quandam redundantiam ad nostram utilitatem, id est: ad causandas gratias.

441. *Quid est valor Sacrificii Missæ?* ℟. Valor, est moralis dignitas & æstimabilitas; vel sic: *est*

ipsa



ipsa Sacrificii efficacia ad conferenda aliqua bona, tum aliis, tum ipsi offerenti.

442. *Quid est fructus Sacrificii Missæ?* ℟. Fructus idem est, ac effectus Sacrificii, & sunt ipsa bona, quæ intuitu Sacrificii oblati à Deo conferuntur, scilicet: *Gratiæ, remissio peccatorum &c. (ut immediatè infra.)*

443. *Qui sunt fructus seu effectus Sacrificii Missæ?* ℟. Sunt sequentes: I. Gratiæ actuales, seu auxilia prævenientia, tum sufficientia, tum efficacia. II. Remissio peccatorum mortalium, & venialium quò ad culpam, & pœnam certô modô, id est: *mediatè tantùm*; quatenùs propter hoc Sacrificium Deo oblatum dentur gratiæ actuales & auxilia ad eliciendam contritionem, ad amorem Dei, & ad pœnitentiam; quibûs peccata delentur, & has gratias Sacrificium Missæ immediatè causat & exigit. III. Remissio pœnarum temporalium vivis, & defunctis in purgatorio existentibus. IV. Impetratio variorum bonorum & beneficiorum Dei tum spiritualium, tum temporalium; quatenus saluti conducunt. *Ratio*, quia Ecclesia hæc omnia petit in Missa; *Ergo*, sentit, quòd Missa valeat ad impetranda hæc bona.

444. *Valor & fructus Sacrificii Missæ, an est finitus vel infinitus?* ℟. 1mo: *Valor & fructus Sacrificii Missæ in actu primo, & quò ad sufficientiam,* est infinitus Syncathegorematicè. *Ratio*; [illegible]*quia*, in Sacrificio Missæ offertur Christus, qui est infinitæ dignitatis, & repræsentatur passio

ſio ejus ac merita, quæ infinitis hominum peccatis delendis ſunt ſuperabundanter ſufficientia; *Ergo*, hoc Sacrificium ſufficiens eſt, ut poſſit producere majorem, & majorem fructum, infinitum. ℞. 2do: *Valor & fructus Sacrificii Miſſæ in actu 2do, quò ad efficaciam, & quò ad actualem applicationem, eſt finitus. Ratio, tum quia*, Chriſtus Dominus voluit hoc Sacrificium ſæpiùs iterari, *ergo*, congruum eſt, ut merita & ſatisfactiones Chriſti annexæ cuilibet Miſſæ, non aliter proſint, niſi finitô modô. *Tum quia*, ſi valor, & fructus, eſſet infinitus in actu 2do, Sacerdos poſſet pro una Miſſa plura ſtipendia accipere; unâ Miſsâ pluribus legationibus, & fundationibus ſatisfaçere; quod eſt reprobatum ab Eccleſia.

445. *Quotuplex eſt fructus Sacrificii Miſſæ?* ℞. Eſt 3plex: I. *Fructus generalis*; qui prodeſt & applicatur toti Eccleſiæ, quem Eccleſia omnibus fidelibus ſecundùm eorum diſpoſitionem applicat. II. *Fructus ſpecialis*, qui applicatur ipſi Sacerdoti offerenti. III. *Fructus ſpecialiſſimus*, qui applicatur illi, pro quo offertur Sacrificium Miſſæ.

446. *Valor Sacrificii Miſſæ quotuplex eſt?* ℞. (*ex Reiffenſtuel*) 2plex: *Valor ex opere operato*, qui provenit ab ipſo Sacrificio Miſſæ ex meritis Chriſti. *Valor ex opere operantis*, qui provenit ex bonitate ipſius Miniſtri, à devotione, & propriis ejus meritis.

447. Sacrificium Miſſæ, quamvis accipiat valorem ex opere operato, & proſit omnibus ex opere

ope-



operato, ultra omne meritum & dispositionem fidelium; ex voluntate tamen Christi & institutione non omnes æqualiter participant fructus Sacrificii, sed inæqualiter juxta majorem, vel minorem devotionem uniuscujusq;, & cooperationem ad Sacrificium. II. Sacrificium Missæ, ut specialiter prosit uni potiùs, quàm alteri; requiritur applicatio sacrificantis. *Ratio*; quia hoc Sacrificium est institutum pro bono communi, & est secundùm se indifferens; proinde requiritur determinatio per Sacerdotem, ut specialiter prosit huic, vel illi. III. Missa quamvis primariò sit instituta ad exhibendum cultum latriæ, in recognitionem supremi Dominii Dei, tamen secundariò potest offerri, & defactò offertur etiam ad alios fines secundarios; *vg. ad agendas Deo gratias, ad impetrationem beneficiorum, ad remissionem peccatorum, ad Sanctos honorandos &c.*

448. *Sacrificium Missæ quibus potest applicari?* ℟. I. Potest & debet applicari omnibus fidelibus in hac vita degentibus, sive sint justi, sive peccatores. II. Potest offerri pro infidelibus, & paganis, ut convertantur. III. Prodest Missa animabus in purgatorio. IV. Sacrificium Missæ pro Beatis offertur, quatenus est Sacrificium laudis & gratiarum actionis; laudando Deum pro eorum gloria, & pro aliis beneficiis collatis iisdem, &c.

449. *Sacrificium Missæ, quibus non est licitum applicare?* ℟. I. Missa pro damnatis, neq; utiliter, neq; licitè potest offerri; quia ex inferno nulla est redemptio. II. Pro excommunicatis vitandis

non



non est licitum Missam offerre; quia Sacerdos ageret contra gravem prohibitionem Ecclesiæ, à qua facta est privatio omnium suffragiorum, quale suffragium nobilissimum est Missa. *Pro iisdem tamen (addit Lacroix) licitum est privatim orare in Missa sub Memento internè.* III. Pro excommunicatis non vitandis potest offerri Missa. *Ratio*, quia *Conc: Const:* concedit communicationem cum excommunicatis toleratis in quibuscunq; Divinis.

450. *Cui prodest fructus Sacrificii, qui fuit applicatus in capaci?* ℟. Quidam DD. tenent, quòd talis fructus reponatur in Thesauris Ecclesiæ; alii putant prodesse ipsi sacrificanti.

451. *Sacrificium Missæ, à quo offertur?* ℟. (*ex Lacroix*) I. Christus est principalis Sacerdos offerens quamlibet Missam. *Est de Fide.* II. Sacerdos celebrans, est offerens minùs principalis. III. Tota Ecclesia debet dici offerens hoc Sacrificium, per Sacerdotem. *Est communis inter Catholicos.* IV. Catholici, qui Missæ assistunt, vel positivè ad illam cooperantur, etiam sunt offerentes. *Plura apud Lacroix, & alios.*

452. *Sacrificium Missæ quare est unicum in lege Evangelica?* ℟. Quia congruum fuit, ut sit in Ecclesia Christi unicum; sufficit enim hoc unicum ad omnes fines & effectus; continet perfectionem omnium Sacrificiorum veterum, & est omnium tanquam perfectio & absolutio. *Tum quia*, Christus instituendo Sacrificium Missæ, videtur abrogasse omnia alia Sacrificia.

453. *Quæ ſunt obſervanda de ſtipendio Miſſæ?* ℞. *Hæc ſunt ſcienda:* I. Sacerdos licitè poteſt accipere ſtipendium pro Sacrificio Miſſæ, non quidem per modum pretii pro re oblata, ſed per modum ſuſtentationis juſtæ & congruæ, celebrantis. *Ratio;* quia, quilibet meretur ſuſtentari ab illo, in cujus licito miniſterio occupatur, ſecundùm illud: *dignus eſt operarius mercede ſuâ. Unde*, nil obeſt, quòd Sacerdos ſit dives, quia operarius etiam dives, eſt dignus mercede, & cibô ſuô. II. Stipendium non poteſt exigi, niſi ſit juſtum, id eſt: quòd Epiſcopali lege, vel conſvetudine loci taxatum eſt, niſi Miſſa ſit cantanda tempore, vel locô incommodô & longè diſtanti. III. Sacerdos non poteſt plura ſtipendia pro una eademq; Miſſa accipere; neq; pro pluribus ſtipendiis unâ eâdemq; Miſsâ ſatisfacere. IV. Sacerdos acceptô pro Miſſa ſtipendiô, non poteſt alteri Miſſam committere, retentâ ſibi parte ſtipendii. *Ita Alex: VII.* damnando illam ſententiam: *Poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collatô illi minori ſtipendiô, aliâ parte ſtipendii, ſibi retentâ. Reliquas materias faciliores, vg. de Rubricis Miſſalis, de defectibus, de interruptione Miſſarum, de loco & tempore &c. remitto tum ad Miſſale, tum ad Caſiſtas, qui fuſè de his tractant.*

CAPUT IV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

454. *De Sacramento Pœnitentiæ cùm per ſe*

immediatè, & *ex professo incumbat notitia Confessariis; ut cum omnibus suis materiis connexis, & scitu necessariis, exactiùs intelligatur; fusiùs de hoc Sacramento tractabimus, infra in Tractatu 13tio, n. 615. & seq.*

CAPUT V.

De Extrema Unctione.

455. *Quid est Extrema Unctio?* ℟. Est Sacramentum novæ Legis, per quod fit Unctio Olei benedicti, in sensibus moribundi, sub præscripta verborum forma.

456. *Quotuplex est materia Extremæ Unctionis?* ℟. Est 2plex: Materia remota & proxima.

Materia remota, est Oleum ab Episcopo benedictum, quod debet benedici, & renovari, quôvis annô, veteri combustô.

Materia proxima, est Unctio quinque sensuum; vel si isti mutilati sunt, inunctio vicinarum partium.

457. *Quæ est forma Extremæ Unctionis?* ℟. Sunt verba prolata à Sacerdote: *Per istam Sanctã Unctionem, & suam &c.*

458 *Quis est effectus Extremæ Unctionis?* ℟. *Gratia Dei; cujus effectus primarius est*, roborare Christi Fideles contra tentationes Diaboli, quæ in articulo mortis infestant. *Secundarius effectus*, est delere reliquias peccatorum, tollere pœnas residuas; aliquando etiam conferre sanitatem corporis, si expediat.

459. *Quis est Minister Extremæ Unctionis?* ℟. Est solus Parochus; ex commissione verò, est quilibet Sacerdos.

460. *De Ministro Extremæ Unctionis observanda sunt hæc:*

I. Sacerdos alius sine licentia Parochi administrans Extremam Unctionem extra necessitatem, validè confert, sed graviter peccat. *Ita Sylvius, Lacroix &c.*

II. Religiosus non habens delegatam potestatem à Parocho, administrans hoc Sacramentum, incurrit excommunicationem Papalem.

III. In necessitate, si Pastor abesset, vel dare nollet, neq; superior posset adiri pro petenda licentia; quilibet Sacerdos etiam Regularis non excommunicatus, aut suspensus, licitè potest ministrare. *Ita Diana, Lacroix, & multi alii contra Gavantum. Ratio,* quia in necessitate censetur Papa dare licentiam.

IV. Hujus Sacramenti Sacrum Oleum, non licet domi conservare; unde peccaret mortaliter, qui semper domi retineret. *Lacroix.*

V. Hujus Sacramenti non sunt capaces pueri ante usum rationis, & si sufficiat ætas, quâ possunt peccare.

VI. Non sunt etiam capaces perpetuò amentes. *Qui autem non sunt perpetuò amentes;* id est: qui antea habuerunt usum rationis, si ante petiêrint, aut petituri fuissent, si cogitâssent; Extrema Unctio potest & debet dari: *Ita Sylvius, Henricus, La-*

 croix,



croix, *&c.* Si autē tales resisterent Unctioni, ligandi sunt, vel fortiter tenendi.

VII. Muti, Surdi, & Cæci à nativitate, sunt capaces; & Unctio debet fieri prope organa sensuum, quibûs carent; quamvis per hæc organa exteriùs non peccaverint, potuerunt tamen peccare per interiores potentias, quibus respondent. *Ita Diana, Lacroix.* Plura n. 781.

CAPUT VI.

De Sacramento Ordinis.

461.*De Sacramento Ordinis, cum per se immediatè, & ex professo spectet notitia ad Clericos ordinandos, in ordine ad suscipiendos ordines; & cum sit fusa materia propter connexionem cum multis scitu necessariis; proinde seorsivè agemus de hoc Sacramento infra n.* 549. *& seq.*

CAPUT VII.

De Matrimonio.

462. *Quid est Matrimonium?* ℟. Est Sacramentum novæ Legis, per quod fit legitima maris & fæminæ conjunctio, retinens individuam vitæ societatem. *Dicitur: Individuam*; id est: indissolubilem, & perpetuam.

463. *Matrimonium in nova Lege, an est verum Sacramentum?* ℟. Est verum Sacramentum, & causat gratiam ex opere operato.

464. *Quis est Minister Matrimonii?* ℟. Sunt ipsi contrahentes; Parochus autem est assistens, quatenus



tenus ex officio assistit, & benedicit contrahentibus.

465. *Quotuplicia sunt impedimenta Matrimonii?* ℞. Duplicia: I. *Impedimenta dirimentia*; quæ reddunt Matrimonium non tantùm illicitum, sed etiam invalidum, nullum, & irritum. II. *Impedimenta impedientia tantùm & non dirimentia*; quæ reddunt Matrimonium tantùm illicitum, non verò invalidum.

466. *Quot sunt impedimenta impedientia tantùm, & non dirimentia?* ℞. Præter peccatum mortale, & excommunicationem, præcipuè sunt sex sequentia:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atq; Catechismus, crimen; sponsalia votum.
Impediunt fieri; permittunt facta teneri.

467. *Quot sunt impedimenta dirimentia?* ℞. Sunt 14. in sequentibus versibus expressa:

Error, Conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptaq; sit mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc faciẽda vetant cõnubia; facta retractãt.

468. *Quid sunt sponsalia?* ℞. Est mutua Matrimonii futuri promissio signô externô expressa.

469. *Sponsalia quò differunt à Matrimonio?* ℞. Differunt per hoc; quia Matrimonium est mutuus consensus & contractus de præsenti; jam verò sponsalia sunt tantùm promissio de futuro Ma-

trimonio contrahendo. *Plura de ſponſalibus, & Matrimonio apud Caſiſtas.*

TRACTATUS XII.

De Sacramento Ordinis, & de aliis materiis directè ſpectantibus ad ordinandos.

CAPUT I.

De Rudimentis Fidei.

470. *QUid eſt Chriſtianus?* ℞. Eſt ille, qui per Sacramentum Baptiſmi factus eſt membrum Chriſti, ejusq; meritorum particeps.

471. *Chriſtianus, & Catholicus, an ſunt idē?* ℞. In rigore non ſunt idem; quia latiùs patet Chriſtianus, quàm Catholicus; omnis enim Catholicus, eſt Chriſtianus, non tamen è contra; *v.g.* Omnes hæretici ſunt Chriſtiani, non ſunt tamen Catholici. *Ratio eſt; quia ad verum Catholicum requiritur, ut veram doctrinam Chriſti profiteatur, quam hæretici non profitentur; adhærent enim ſectis, & opinionibus falſis, & alienis ab Eccleſia Catholica Romana.*

472. *Quod eſt ſignum Chriſtiani?* ℞. Eſt ſignū Sanctæ Crucis; ſcilicet hoc: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.*

De Symbolo Fidei.

473. *Quid eſt Symbolum Fidei?* ℞. Eſt collectio præcipuorum Articulorum Fidei Chriſtianæ.

474.

474. *Quot sunt Symbola Fidei?* ℟. Tria: *Primum Symbolum Apostolorum*; quod est conditum ab ipsis Apostolis. *Secundum Symbolum Nicænū*; quod est collectum in Concilio Nicæno contra Arianos, & ad explanationem Fidei propter Græcos, qui non credebant Spiritum Sanctum procedere ab utroq;, sed tantùm à Patre. *Tertium Symbolum S. Athanasii*; quod est compositum à S. Athanasio, ob defensionem Fidei.

475. *Quid est Articulus Fidei?* ℟. Est infallibilis veritas de Deo, revelata nobis à Deo, ad credendum.

476. *Quot sunt Articuli Fidei, expressi in Symbolo Apostolorum, & Nicæno?* ℟. Sunt Articuli Fidei duodecim; nimirum:

Articuli Fidei pertinentes ad Divinitatem, sunt quinque I. Credere naturam, & essentiam Dei esse unam; & hæc unitas exprimitur in Symbolo Nicæno *per ly: unam.* II. Credere Sanctissimam Trinitatem. III. Credere Deum esse Creatorem omnium rerum visibilium & invisibilium. IV. Credere remissionem peccatorum. V. Credere resurrectionem mortuorum.

477. *Articuli Fidei pertinentes ad humanitatem Christi Domini, sunt septem:* I. Credere Christum Dominum conceptum de Spiritu Sancto. II. Credere natum ex MARIA. III. Credere Christum passum, Crucifixum, & sepultum. IV. Credere Christum descendisse ad inferos. V. Credere resurrexisse à mortuis. VI. Credere ascendisse in Cœ-

Cœlum. VII. Credere Christum judicaturum vivos, & mortuos. *Hi omnes Articuli Fidei continentur in utroq; Symbolo Niceno, & Apostolorum.*

478. *Quare dicitur in plurali, ad inferos?* ℟. Ideo, quia Christus Dominus *descendit & ad Limbum,* (in quo Animæ Sanctæ Salvatorem expectabant) *& ad Purgatorium;* unde multas Animas liberavit. *Non descendit tamen ad infernum (seu ad locum damnatorum,) quia ex inferno nulla est redemptio.*

479. *Quare Christus Dominus, dicitur in Cœlis sedere?* ℟. Per hoc significatur quies post exantlatos labores; vel etiam potestas Judicis Christo tradita.

480. *Quare Christus Dominus, dicitur sedere ad Dexteram Patris?* ℟. Quia consecutus est supremam in Cœlis gloriam.

481. *Quid intelligitur per illud: venturus est judicare vivos & mortuos?* ℟. *Per vivos,* intelliguntur: *Electi; per mortuos;* intelliguntur *reprobi.*

482. *Ob quam causam, necessarium erit judicium universale, siquidem post mortem quilibet judicatur particulariter?* ℟. I. Ex hac ratione: ut omnis homo, non tantùm judicetur in anima, sed etiam in corpore. II. Ut Christus, qui fuit reprobatus ab omnibus; tunc agnoscatur coram Cœlo, mundo, & inferis, omnium Salvator, & Redemptor.

483. *Quomodo hoc intelligitur: Deus natus in tempore, Passus, mortuus, & sepultus?* ℟. hæc & alia intelliguntur secundùm humanitatem, & per communicationem Idiomatum. *Vide de hoc n. 533.*

§. De Ecclesia.

484. *Quid est Ecclesia?* ℟. Est congregatio omnium Fidelium sub uno Capite Christo, & ejus in terris Vicario.

485. *Quotuplex est Ecclesia?* ℟. Est 2plex: Militans, & Triumphans.

Ecclesia militans; est Ecclesia in præsenti vita, quæ adhuc militat in terris.

Ecclesia Triumphans; est Ecclesia Beatorum regnantium in Cœlo, qui de mundo & Diabolo triumphant securi in æternum.

486. *Ecclesia, quò differt à Synagoga?* ℟. I. Differt; quia Synagoga habuit umbram & figuram; jam verò Ecclesia habet ipsam lucem, & veritatem. II. Quia Ecclesia hoc habet, & possidet, quod Synagoga tantùm expectabat.

487. *Quotuplex est status Ecclesiæ?* ℟. Est 3plex: *Primus status legis naturæ*; qui fuit ab Adamo usq; ad Moysen, per spatium circiter bis mille Annorum. *Secundus status legis scriptæ*; à Moyse usq; ad Christum; per spatium ferè bis mille Annorum. *Tertius status legis gratiæ*; est status præsens in lege Evangelica, qui conditus est à Christo faciendo Ecclesiam in meliori, & perfectiori statu;

à quo



à quo cœpit illa congregatio, quæ vocatur: *simpliciter Ecclesia.*

488. *Christus Dominus fundavit Ecclesiam, per quid in meliori statu?* ℟. I. Ex eo, quia præcepta judicialia veteris Testamenti abrogavit. II. Quia præcepta Fidei auxit; quatenus expressè credi voluit illa, quæ credebantur obscurè à Judæis; *uti sunt mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis.* III. Quia Sacramenta Efficacissima instituit &c.

489. *Quid est Communio Sanctorum?* ℟. I. Quia in Ecclesia Dei est communio rerum Sanctarum. II. Quia Sancti & Justi habent inter se specialem communicationem tanquam membra unius corporis.

490. *Quæ illæ sunt res sanctæ, in quibus nos omnes Catholici communicamus, in una Ecclesia existentes?* ℟. I. Est communicatio Redemptionis Christi Domini, factæ per actiones tum meritorias, tum satisfactorias. II. Est communicatio Sacramentorum, quæ Christus Dominus instituit propter omnium salutem. III. Communicantur dona gratiæ, & verbum Dei. IV. Communicantur omnia bona opera Catholicorum. *Ratio*; quia cum simus membra ejusdem Corporis, dum quis orat, & jejunat, non tantùm sibi, sed etiam omnibus orat, & jejunat.

491. *Catholici mali, & peccatores, an habent aliquem fructum, in hac communione Sanctorum?* ℟. Habent fructum; I. Quia Catholici



lici boni suîs precibûs sæpè impetrant gratiam. II. Quia Catholici mali propter societatem cum bonis sæpè convertuntur, & evadunt vindictam Dei.

492. *Animæ existentes in purgatorio, an participant aliquem fructum?* ℟. Participant. *Ratio est*; quia cum sint membra viva, nobis conjuncta per eandem fidem, spem, & charitatem; juvantur nostrîs satisfactionibûs.

493. *An illa tantùm sunt credenda, quæ sunt expressa in Sacra Scriptura?* ℟. Non tantùm illa, sed etiam credendæ sunt Traditiones ab Ecclesia acceptatæ.

494. *Ecclesia militans, an fuit semper ab initio mundi?* ℟. Fuit semper, & modò est, & erit usq; ad finem mundi; tamen secundùm diversos status, diversi erant ritus, & præcepta.

ORATIO DOMINICA.

495. *Quid intelligitur per Orationem Dominicam?* ℟. *Pater noster &c.*

496. *Oratio Dominica, quantæ excellentiæ est?* ℟. Est excellentissima Oratio; quia Christus Dominus hanc Orationem primùm docuit Apostolos.

497. *Quot in se petitiones continet Oratio Dominica?* ℟. Continet septem: I. *Sanctificetur Nomen tuum.* II. *Adveniat regnum tuum.* III. *Fiat voluntas tua.* IV. *Panem nostrum quoti-*

dia-




dianum. V. *Et dimitte nobis debita &c.* VI. *Et ne nos inducas in tentationem.* VII. *Sed libera nos à malo. In fine: ly: Amen*, idem significat: *ac fiat*, hoc est: ut spem & desiderium monstremus accipiendi illa, quæ in septem his petitionibus continentur. *Nota: Ex supra dictis septem petitionibus, primæ tres ordinantur ad laudem solius Dei; Reliquæ quatuor ordinantur ad nostram utilitatem. Interim, inter primas tres petitiones, summa & nobilissima est petitio illa: Sanctificetur Nomen tuum.*

498. *Hæc verba: (Pater noster, qui es in cœlis,) an sunt petitio?* ℟. Non sunt; quia hæc verba tantùm præmittuntur ad excitandam attentionem, & filialem fiduciam in nobis, erga Deum tanquam Patrem optimum.

Salutatio Angelica.

499. *Salutatio hæc, quare dicitur Angelica?* ℟. Ideo, quia primaria hujus Salutationis pars, fuit primò pronunciata ab Angelo; non tamen hôc sensu, ac si Angelus sit Author hujus Salutationis; quia defactò hæc Salutatio est dictata ab ipsa Sanctissima Trinitate.

500. *Salutatio Angelica quot habet partes?* ℟. Habet tres partes, scilicet: I. *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*; & hæc pars est ab Angelo pronuntiata. II. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus Ventris tui*; hæc pars, ab Elisabeth Spiritu Sanctô plenâ. III. *Ora pro nobis &c.*



&c. & hæc pars, est addita ab Ecclesia.

Præcepta Decalogi.

501. *Quot sunt præcepta Decalogi?* ℟. Sunt decem, data nobis à Deo per Moysen; quæ cum Divina gratia sunt ad observandum facilia, & possibilia.

502. *Præcepta Decalogi quotuplicia sunt?* ℟. Sunt 2plicia: *Præcepta 1mæ Tabulæ, & 2dæ Tabulæ.*

Præcepta, 1mæ Tabulæ, sunt illa, quæ immediatè versantur circa honorem Dei, uti sunt: *tria prima præcepta.*

Præcepta 2dæ Tabulæ; quæ versantur circa utilitatem proximi. *Et hæc sunt, reliqua septem præcepta.*

503. *Præceptum adhuc est 2plex:* Affirmativum, & negativum.

Præceptum negativum; quod obligat semper pro semper; *v.g. non mœchaberis, non occides &c.*

Præceptum affirmativum; quod obligat semper, sed non pro semper; *v.g. honora Patrem, & Matrem*; quòd non obligat pro semper.

504. *Decem Dei præcepta quæ sunt? & quæ peccata per illa prohibentur?* ℟. *Primum præceptum:* Non *assumes Deos alienos coram me*; per hoc præceptum præcipitur, ut Deum adoremus, & illi soli serviamus. *Eôdem præceptô prohibentur peccata sequentia:* I. *Superstitio, cum suis speciebus*; uti sunt: *Idololatria, Divinatio, vana obser-*

observantia, magia, maleficium &c. II. *Irreligiositas, cum suis speciebus,* uti sunt: *Tentatio Dei, perjurium, Sacrilegium, Simonia. &c.*

Secundum præceptum: Non assumes Nomen Domini in vanum; contra hoc præceptum peccata sunt hæc: *Perjurium, juramentum falsum, blasphemia, contumelia, sive illa sit hæretica, (id est: cum hæresi, sive sine hæresi; non adimpletio votorum &c.*

505. *Tertium præceptum: Memento, ut diem Sabathi sanctifices* Hôc præceptô præcipitur, observatio dierum festorum;uti sunt omnes dies Dominici, & alia festa ad populum celebria; quibûs diebûs festîs Christiani tenentur sub præcepto ad duo: *ad audiendam Missam, & verbum Dei; & ad cessandum ab operibus servilibus.* Opera autem possunt considerari 3plicia: I. *Opera animæ,* uti studere, scribere docere *&c.* II. *Opera corporalia;* ut venari, iter facere, cantare *&c.* III. *Opera servilia;* ut fabricare, serere, arare; *&c. Et hæc ultima opera servilia, sunt prohibita diebûs festîs.*

Quartum præceptum: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. In hoc præcepto intelliguntur non tantùm Parentes, sed etiam Patres spirituales; uti sunt: *Pastores, Confessarii, Sacerdotes. Item, Seniores, & Superiores, tam spirituales, quàm temporales. Honor autem,* prædictis omnibus, consistit in reverentia exteriori; quatenus obligantur filii illos amare, revereri, obedire, adjuvare

in



in negotiis spiritualibus & corporalibus; sustentare illos propriîs bonîs, secundùm qualitatem cujusq;, præcipuè, si sint infirmi, pauperes, & senes.

Quintum præceptum: Non occides; Hôc præceptô non tantûm prohibentur homicidia, & injusta effusio sangvinis, sed etiam mutilatio, verberatio, & omnis alia injuria inflicta, factô, vel dictô, vel consiliô, vel præceptô. *Item*, prohibentur: *Rixæ, & odia in proximum &c.*

Sextum præceptum: *Non mæchaberis*, Hôc præceptô prohibetur omne peccatum contra castitatem; uti sunt: *Adulterium, fornicatio, incestus, stuprum, sacrilegium, raptus, peccata contra naturam &c.*

506. *Septimum præceptum*: Non *furtum facies*. Hôc præceptô prohibentur sequentia peccata: *Furtũ simplex*, seu occulta acceptio rei alienæ, invitô rationabiliter Dominô. *Furtũ Sacrilegũ*, seu acceptio rei sacræ, vel etiã rei non sacræ, de loco sacro. *Rapina; seu violenta rei alienæ acceptio, præsente Dominô. Item; usura, & injustum lucrum; injusta negotiatio, fraus, dolus, & omnis alia illicita acquisitio rei alienæ, invitô rationabiliter Dominô. De furto quædam vide n.* 102.

Octavum præceptum: Non *loqueris contra proximum tuum, falsum testimonium*. Hôc præceptô prohibentur sequentia peccata: *Testimonium falsum*, contra proximum. *Injusta Judicum sententia*; qui non rectè judicant, vel formam in judicando non servant, causam differunt *&c. Iniqui-*

quitas notariorum; si addant vel minuant aliquid causæ. *Item*: Temerarium judicium, mendacium, susurratio, adulatio, detractio, *&c.*

Nonum præceptum: *Non concupisces uxorem proximi tui, non ancillam.* Hôc præceptô prohibentur omnes actus interni circa concupiscibilia, si sint liberi, & voluntarii.

Decimum præceptum: *Non domum, non agrum, & universa, quæ illius sunt*; In hoc præcepto prohibetur inordinata concupiscentia rei alienæ ad possessionem, & immoderatus appetitus habendi cum damno proximi; *uti est*: *avaritia, quæ perniciosissima est animæ*; *quia avarus semper de auro, & argento cogitat*; *cujus oratio ad Deum, aurum quærit, non cœlum.*

Præcepta Ecclesiæ.

507. *Quot sunt præcepta Ecclesiæ?* ℞. Sunt quinquè, scilicet:

Primum præceptum Ecclesiæ: *Audire Missam diebûs Dominicîs & Festîs*: *In hoc præcepto præcipitur*, ut omnes Fideles usum rationis habentes audiant Missam sub peccato-mortali diebûs Dominicîs, & Festîs. *Ad audiendam Missam præcipuè sunt quatuor requisita*: I. Præsentia moralis saltem, ita, ut audiens habeat animum audiendi Missam. II. Requiritur intentio audiendi Missam saltem virtualis. III. Requiritur attentio, non tantùm externa, sed etiam interna saltem virtualis, attendendo ad actiones Sacerdotis. *Unde*, non satis-

facit

facit præcepto de Missa, qui toto tempore, vel ex majori parte Missæ, loquitur & confabulatur. IV. Requiritur integritas, ut integra Missa audiatur.

508. *Secundum præceptum*; Jejunare in Quadragesima, Vigiliis, in quatuor temporibus, & non comedere carnes feriâ sextâ, & die Sabbathi. Jejunium hoc Ecclesiasticum debet esse *quò ad quantitatem* (hoc est semel in die comedendo) & *quò ad qualitatem*; hoc est debet esse abstinentia à carnibus. *Nota*; Jejunium est 2plex. I. *Jejunium naturale*, est abstinentia à qualibet re sumpta, per modum cibi & potûs, etiam per modum medicinæ; & tale jejunium inchoatur à media nocte. II. *Jejunium Ecclesiasticum*, per quod debet esse abstinentia à 2plici refectione, & à cibis vetitis, secundùm formam præscriptam ab Ecclesia.

Tertium præceptum: *Confiteri semel in anno, & cõmunicare in Paschate*. In hoc præcepto præcipitur; ut omnes Fideles, qui pervenerunt ad annos discretionis, semel in anno confiteantur & sumant S. Communionem, & quidem à proprio suo Pastore; idq; ad minùs semel in Anno tempore Paschali.

Quartum præceptum: *Non celebrare nuptias tempore prohibitô*. In hoc præcepto prohibetur nuptiarum solemnitas, & publica benedictio in Ecclesia. *Interim* possunt celebrari sponsalia & matrimonium sine solemnitate, cum licentia tamen Ordinarii. *Nuptiæ seu Matrimonia* (*ex Trident: Sess: 24.c. 10.*) *probibentur fieri*: I. Ab Adventu usq; ad Epiphaniam. II. A feria quarta Cine-

rum, usq; ad Octavam Paschatis inclusivè.

Quintum præceptum: Solvere decimas; In hoc præcepto præcipitur solutio decimarum Ministris Ecclesiæ in subsidium, & sustentationem eorum &c. *Plura apud Casistas.*

CAPUT II.

De Deo Uno, & Trino.

SECTIO I.

De Deo Uno.

509. *Quid est Deus?* ℞. Vulgariter ad captum simplicium per respectum ad effectus, describitur sic: *Est Creator Cœli & terræ.* Theologicè verò, *Deus est Ens à se*; id est: Deus constituitur per Ens, & asseitatem; *Asseitas verò*, est ipsa Sufficientia ad existendum. Aliter Asseitas explicatur: *Independentia ab alio tanquam à causa.* Et hæc asseitas, est prima radix omnium perfectionum Divinarum; *ideo enim Deus est æternus, immensus, omnipotens, omniscius, infinitè bonus, infinitè misericors &c. quia est Ens à se; seu quia est Ens sufficiens sibi adesse, & adhabere ex sua natura omnes perfectiones possibiles.*

510. *Deus quomodo existit?* ℞. Existit necessariò & per essentiam; è contra omnes nos creaturæ existimus contingenter.

511. *Deus, an est infinitè perfectus?* ℞. Est infinitè perfectus in omni genere perfectionis. *Unde in Deo omnes perfectiones sunt infinitæ & illimita-*

mitatæ; vg. Infinitam habet misericordiam, infinitam bonitatem; infinitæ perfectionis justitiam, infinitæ perfectionis scientiam, infinitæ perfectionis omnipotentiam, infinitæ perfectionis intellectum & voluntatem &c.

512. *Quotuplicia sunt prædicata Divina?* ℟. Sunt 2plicia:

I. *Prædicata absoluta*; uti sunt prædicata primo-Essentialia, & secundo-essentialia, seu attributa Divina. Et hæc prædicata seu perfectiones absolutæ sunt communes toti Sanctissimæ Trinitati; *vg. omnipotentia, immensitas, misericordia &c. uti dicetur n.* 519.

II. *Prædicata Relativa*; quæ non sunt communia toti Sanctissimæ Trinitati; *vg.* Paternitas soli Patri convenit, Filiatio Filio, Spiratio passiva soli Spiritui Sancto. *Dicitur: Spiratio passiva*; quia Spiratio activa convenit Patri & Filio; Spiritus enim Sanctus, procedit ab utroq; à Patre & Filio.

513. *Quid est attributum Dei?* ℟. Est perfectio simpliciter simplex, communis toti Sanctissimæ Trinitati, emanans per modum proprietatis Metaphysicæ ab essentia Dei, tanquam radice; *vg. Omnipotentia, Immensitas &c.*

514. *Quæ illa sunt Attributa?* ℟. Attributa Dei sunt plurima, & ferè innumera; hôc locô, aliqua tantùm enumerantur, nimirum:

I. *Infinitas*; est perfectio Dei, ratione cujus Deus nullum habet finem, & terminum suæ perfectionis; vel sic: *est perfectio, ratione cujus Deus*

habet omnem plenitudinem, & totalitatem omnium perfectionum possibilium.

II. *Æternitas, (secundùm Boëtium) est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Dicitur: interminabilis*; quia æternitas, neq; habet initium, neq; finem; tam à parte ante, quàm à parte post. *Dicitur: vita*; id est: totius Divinitatis. *Dicitur: tota simul*; quia æternitas neq; habet divisionem, neq; successionem formaliter, nisi tantùm virtualiter. *Dicitur: possessio*; id est: firmitas, stabilitas, & indeficientia.

III. *Necessitas Dei*; est perfectio Dei, ratione cujus Deus habet necessitatem quò ad essentiam, & quò ad existentiam; ita ut excludat contingentiam à Deo, involventem imperfectionem.

IV. *Immensitas Dei*; est perfectio Dei, per quam Deus est præsens omni loco, sine ulla limitatione, & termino. *Porro*: Tres modi sunt, quibûs Deus dicitur ubiq; esse præsens: *Enter, Præsenter, Deus est, & ubiq; Potenter. Enter*; id est: per essentiam & substantiam suam. *Præsenter*; id est: per omniscientiam. *Potenter*; id est: per omnipotentiam, per quam Deus omnia producit, omnia conservat, & omnia in omnibus moderatur.

V. *Immutabilitas Dei*; est perfectio Dei, per quam Deus nullam potest habere mutationem; id est: neq; potest aliquam perfectionem deperdere, neq; novam acquirere.

VI. *Invisibilitas*; quatenus Deus non potest videri naturaliter per claram Dei visionem, sed su-

per-

pernaturaliter. Sunt, & alia attributa; nimirum: *Simplicitas, incomprehensibilitas, omnipotentia, unitas, veritas, bonitas, scientia, libertas, intellectus, voluntas, &c.*

515. *Quid intelligitur per decreta Dei?* ℟. Intelliguntur actus Divinæ voluntatis liberi, per quos aliquid statuit, & decernit; *v.g. Decretum fuit ab æterno de creatione hujus mundi; Decretum de Incarnatione Divina; decretum Prædestinationis, Reprobationis &c.* Decretum potest describi sic: *est libera volitio Dei, quà Deus ab æterno decrevit aliquid esse futurum, vel non futurum pro tempore.*

516. *Quid est Prædestinatio ad gloriam?* ℟. Est decretum Dei, quô Deus prævisîs creaturæ meritîs, & salutaribûs operibûs decrevit eidem dare gloriam æternam. *Prædestinatio, potest considerari 3plex:* I. *Prædestinatio antecedens & conditionata*; quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, si bona egerint, & usq; in finem perseveraverint in bono; id est: in gratia. *Et hæc prædestinatio facta est, ante prævisa absolutè merita, quia facta est ex sola misericordia Dei.* II. *Prædestinatio Radicalis, seu virtualis*; quâ Deus decernit auxilia, seu gratias, quæ sunt media ad acquirendam cœlestem gloriam. *Et hæc prædestinatio (secundùm omnes Theologos) ad primã gratiam facta est ante prævisa merita. Ratio*; quia principium meriti, non potest cadere sub meritum, ut dictum est *n.* 280. III. *Prædestinatio absoluta formalis*; quâ Deus



absolutè decrevit dare Electis æternam gloriam, & beatitudinem. *Et hæc prædestinatio formalis, respectu Angelorum, & hominum usum rationis habentium, facta est post prævisa absolutè eorum merita. Ita communiùs T. T.*

517. *Quid est Reprobatio?* ℟. Est decretum Dei, quo Deus post prævisa absolutè creaturæ demerita, decrevit illam ad pœnam æternam. *Plura de prædestinatione, & reprobatione, fusè tractant TT. speculativi.*

//– SECTIO II.

De Deo Trino, seu de Sanctissima Trinitate.

518. *Quid est Sanctissima Trinitas?* ℟. Est Unus Deus in tribus Personis. Vel sic: *est Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, tres Personæ, & unus Deus. Dicitur: unus Deus;* ratione unius naturæ, quia in omnibus tribus Personis, est unica natura, seu una Divinitas.

519. *Tres Personæ Divinæ, in quo conveniunt, & in quo differunt secum?* ℟. I. *Conveniunt* in una natura, seu in essentia; conveniunt in omnibus attributis absolutis, quia omnia attributa absoluta sunt communia toti Sanctissimæ Trinitati, uti sunt: *Omnipotentia, immensitas, infinitas, æternitas, scientia, bonitas, intellectus, voluntas &c. Item:* conveniunt in omni actione ad extra; quia opera ad extra sunt etiam communia toti Sanctissimæ Trinitati &c. II. *Tres Personæ Divinæ differunt* tantùm, in prædicatis Relati-



lativis; uti sunt hæc: *Paternitas*, *Filiatio*, *&* *Spiratio*.

520. *Tres hæ Personæ an producuntur?* ℟. I. Pater est ingenitus & improductus; quia à nulla Persona procedit. II. Filius à solo Patre producitur, per generationem. III. Spiritus Sanctus procedit ab utroq; à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, per amorem.

521. *Opera ad extra, siquidem sunt communia toti Sanctissimæ Trinitati, quare in Symbolo, Pater dicitur: Creator Cœli & terræ?* ℟. Per appropriationem attribuitur soli Patri.

Nota: *Prædicata appropriata*, sunt eadem prædicata essentialia, & communia toti Sanctissimæ Trinitati, tamen propter singularem quandam rationem uni potiùs personæ attribuuntur, quàm alteri, ut sic faciliùs Personæ Divinæ inter se percipiantur. *Unde, opera, in quibus elucet maximè potentia, tribuuntur Patri*; quia est principium sine principio. *In quibus elucet maximè sapientia, tribuuntur Filio*; quia producitur per intellectum, uti sunt hæc prædicata appropriata Filio: *Lux, virtus, idea, candor lucis æternæ, sapientia, veritas &c. Tandem: In quibus elucet amor Dei, tribuuntur Spiritui Sancto procedenti per amorem*; uti sunt hæc prædicata appropriata: *Fons vivus, ignis, charitas, paraclitus, Magistrorum optimus, bonitas, concordia, spiritualis unctio, &c.*

522. *Quare tertia Persona vocatur Spiritus*

Sanctus, cum Pater & Filius sint Spiritus, & sint Sancti? ℟. Spiritus Sanctus non ideo precisè vocatur talis, quia est Spiritualis substantia, & Sancta, quia etiam aliæ personæ sunt substantiæ spirituales & Sanctæ; sed insuper vocatur Spiritus S. speciali modô, ex eo, quòd procedat per spirationem, seu amorem.

12 CAPUT III.

De Incarnatione Verbi Divini.

523. *Quid est Incarnatio Verbi Divini?* ℟. Est conjunctio naturæ Divinæ & humanæ, in unam æterni Verbi Personam.

524. *Quid est Christus?* ℟. Est Filius Dei incarnatus.

525. *Quot sunt naturæ & Personæ in Christo Domino?* ℟. Naturæ sunt duæ: Humana & Divina; Persona est unica Verbi Divini.

526. *Si Christus habet duas naturas, quomodo potest dici unus Christus? unum suppositum? & unum per se Ens?* ℟. Dicitur Christus unus, ratione unius Personæ Divinæ, & explicatur Incarnatio hôc modô; scilicet: *quòd natura humana sumpta quò ad corpus & animam uniatur Verbo, non in unitatem naturæ, sed in unitatem Personæ, inquantùm per subsistentiam Verbi Divini impeditur subsistentia creata. Unde quamvis in Christo sint duæ naturæ Divina & humana; cum tamen*

subsi-

subsistentia Verbi utramq; naturam compleat, Divinam, per identitatem, humanam per unionem; ideo Christus ratione unius subsistentiæ increatæ, defactò est unum suppositum, & unũ Ens per se; ut loquitur *S. Athanasius in Symbolo: Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ &c.*

527. *In Christo cum sint duo intellectus, & duæ voluntates, an possunt dici: duo intelligentes & volentes.* ℟. Non possunt dici, sed tantùm unus intelligens, & unus volens propter unam eandemq; Personam.

528. *Quomodo iste terminus: Homo est Deus; debet explicari?* ℟. non debet explicari sic: *Natura humana est natura Divina;* quia talis prædicatio est hæretica; in Christo enim manent duæ naturæ sine ulla confusione & corruptione, neq; una transit in aliam; sed debet explicari sic: *Hæc Persona terminans humanitatem, est Persona terminans Divinitatem.* Vel sic: *Natura humana, & natura Divina, unâ personalitate terminantur. Ratio ut supra;* quia in Christo est tantùm una Personalitas Divina, quæ in hoc concreto substantiali: *Christus,* importatur in recto, & propter eandem personalitatem vera, & recta est prædicatio: *Deus est Homo, & Homo est Deus.*

529. *Quid est unio Hypostatica?* ℟. Est illa unio, quæ unit naturam humanam cum Verbo Divino; & hæc unio est supernaturalis quò ad substantiam.

530.

530. *Satisfactio Christi pro peccatis nostris, an fuit condigna?* ℟. Non tantùm fuit condigna, hoc est: æqualis, sed etiam superabundans.

531. *Si satisfactio Christi fuit condigna & superabundans, quare non omnes homines salvantur?* ℟. Ideo; quia plurimi reddunt se indignos satisfactione Christi, non applicando sibi eadem merita per Sacramenta & pœnitentiam, sed potiùs abutendo; jam verò satisfactio Christi, ut in actu secundo suum effectum sortiatur, requiritur nostra applicatio, & cooperatio, per bona opera salutaria. *Est de fide.*

532. *Quid intelligitur per actiones Theandricas?* ℟. Per actiones Christi Theandricas: *intelliguntur, actiones Divino-humanæ*, quæ valorem suum, & dignitatem, non tantùm habent à gratia sanctificante, sed etiã ab ipsa Persona Divina. *Et hæ actiones Theandricæ, scilicet: actiones Christi tã meritoriæ, quàm satisfactoriæ, in ratione valoris moralis sunt infinitæ infinitate Ordinis Theandrici; quatenus eædem actiones utpote significatæ à Persona Divina; ita sunt in supremo Ordine, ut neq; detur, neq; dari possit æqualis ordo quarumcunq; operationum puræ creaturæ.*

533. *Quid intelligitur per cõmunicationẽ Idiomatũ in Christo?* ℟. Cõmunicatio Idiomatũ, id est: prædicatorum, potest describi sic: *est duorum unitorum mutua in prædicatis participatio vi unionis, seu adinvicem communicatio.* Unde ratione hujus communicationis Idiomatum, veræ sunt

hæ prœdicationes: *Homo eſt Deus, Deus eſt homo. Item; Deus eſt natus, paſſus, mortuus, reſurrexit &c.* (*intellige ſecundùm humanitatem.*) *V. n.* 483.

534. *Christus ſecundùm humanitatem, quomodo eſt mortuus?* ℟. Mortuus eſt per ſeparationem animæ à corpore: *Poſt ſeparationem autem hanc*; anima deſcendit ad inferos, Corpus manſit in ſepulchro; Divinitas verò fuit unita utriq;, ſecundùm illud: *quod ſemel aſſumpſit, non dimiſit.*

535. *Chriſtus, quomodo reſurrexit?* ℟. Reſurrexit per reunionem animæ ad corpus, cum exitu de ſepulchro.

536. *Chriſtus quibûs mediîs operatur ſalutem humani generis?* ℟. Operatur ſalutem noſtram per continuam largitionem gratiarum & donorum ſupernaturalium; præſertim per gratias, quæ abundanter conferuntur per Sacramenta, à Chriſto Domino inſtituta, ad ſanctificandos, & juſtificandos nos homines.

537. *Chriſtus Dominus nos redemit, an ut Homo, an ut Deus?* ℟. Neq; ut Homo præciſè, neq; ut Deus præciſè; ſed redemit nos: *ut Homo Deus per actiones Theandricas.*

CAPUT IV.

De Clerico, & de prima tonſura.

538. *Quid eſt Clericus?* ℟. *Quò ad nomen ex Græco; idem eſt: ac ſors & hæreditas*; quia Clerici, habent partem, & ſortem Domini. *Quò ad*

rem:

rem: Clericus poteſt deſcribi ſic: *eſt Vir in ſortem Dei electus ad deſerviendum Eccleſiæ ex Officio.*

539. *Clericus, ut primam tonſuram accipiat, quid debet ſcire?* ℟. Sequentia: I. Debet ſcire legere, ſcribere, & lingvam Latinam intelligere. II. Debet ſcire rudimenta fidei, & doctrinæ Chriſtianæ. III. Debet ſcire præcepta, quæ à Clericis ſunt ſervanda, & nonnulla alia.

540. *Quid eſt prima Tonſura?* ℟. Eſt deputatio alicujus ad ſtatum Clericalem, facta ab Epiſcopo ſub certa verborum forma.

541. *Tonſura prima an eſt Ordo, & Sacramentum?* ℟. Non eſt Sacramentum, neq; eſt Ordo; ſed tantùm eſt diſpoſitio ad Ordines.

542. *Prima tonſura, an habet certam materiam, & formam?* ℟. Non habet rigoroſam materiam, & formam; ſed quaſi materiam & formam; ſcilicet: *abſciſſionem capillorum, locò materiæ*; & loco formæ, illa verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, &c.*

543. *Quod eſt Officium Tonſurati?* ℟. Officium illius eſt, canere in Eccleſia, & inſervire Eccleſiæ ex Officio.

544. *Quis eſt effectus tonſuræ?* ℟. Effectus illius eſt, ipſe Clericatus; conſequenter, capacitas beneficiorum, privilegiorum Eccleſiaſticorum, & Ordinum ſuſcipiendorum.

545. *Ad validè recipiendam primam tonſuram, requiſita ſunt tria:* Ut ſit ſexus maſculinus,



nus, ut ſit baptizatus, ut non ſit coáctus.

546. *Ad licitè ſuſcipiendam primam Tonſuram, requiſita ſunt hæc:* Ut habeat Sacramentum Confirmationis, ut habeat legitimam ætatem. Ut non ſit irregularis, neq; aliud aliquod impedimentũ. Ut habeat ſufficientem literaturam. Ut ſit intentio recta ſerviendi ſoli Deo.

547. *Clericus, an obligatur ad Horas Canonicas?* ℟. Non tenetur, niſi habeat beneficium; vel ſi ſit regularis choro addictus.

548. *Quot ſunt privilegia Clericorum?* ℟. Sunt tria: Privilegium fori, Canonis, & à tributis.

Privilegium fori; eſt immunitas à jurisdictione, & à foro ſæculari.

Privilegium Canonis; eſt, ut ſi quis ſvadente Diabolô percutiat Clericum, ſit excommunicatus. *Parens tamen, vel Præceptor poſſunt punire, quia non faciunt ſvadente diabolô.*

Privilegium à tributis; eſt exemptio à gabellis, ex actionibus *&c.* Authoritate Laicâ impoſitîs, etiam quò ad bona patrimonialia, niſi ſint tales res, quas deferunt negotiandi causâ. *Nota:* Clerici tunc gaudent hîs privilegiîs, ſi deferant habitum Clericalem & tonſuram.

CAPUT V.

De Sacramento Ordinis, in Communi.

549. *Quid eſt Ordo?* ℟. Eſt Sacramentum novæ legis, per quod traditur poteſtas agendi circa Corpus Chriſti Domini, vel mediatè, vel immediatè.

tè. *Nota:* Sacerdos *agit circa Eucharistiam immediatè*; jam verò Diaconus, Subdiaconus, & alii habentes minores Ordines; *agunt mediatè*; plûs vel minùs secundûm gradum, & officium cujusvis Ordinis.

550. *Quot sunt ordines?* ℟. Sunt septem: *Ostioratus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.* Hi omnes ordines constituunt unū Sacramentū, & habent unitatem non simplicitatis, sed unitatem finis, & subordinationis; quatenus omnia ordinantur ad unum finem; scilicet ad celebrandum Sacrificium Missæ, & ad conficiendam Eucharistiam.

551. *Quotuplices sunt Ordines?* ℟. 2plices: *Majores & Sacri; minores, & non Sacri. Vide de his n.* 592. 593.

552. *Quotuplex est materia Ordinum?* ℟. Est 2plex: Remota & proxima. *Remota*, est illa res, quæ traditur suscipienti Ordines. *Proxima est*, traditio materiæ remotæ.

553. *Quæ est forma Ordinis?* ℟. Sunt verba ab Episcopo prolata, quibûs utitur in ipsa traditione materiæ.

554. *Quis est Effectus Sacramenti Ordinis?* ℟. *Effectus primarius*, est gratia habitualis sanctificans, & gratiæ actuales speciales, officiis Ordinum proportionatæ. *Vide n.* 359. *Effectus secundarius* est Character indelebilis. *Vide de hoc n.* 366.

555. *Quod est subjectum capax Ordinis?* ℟.

Omnis



Omnis masculus baptizatus, est subjectum capax Ordinis, habens omnia requisita ad licitè, & validè suscipiendos Ordines.

556. *Quis est Minister Ordinis*; ℟. Minister ordinarius est proprius Episcopus. *Per Episcopum proprium*, intelligitur: I. *Episcopus Originis*, id est: Episcopus Loci, in cujus Diœcesi natus est ordinandus, & in qua Parentes habent domicilium. II. *Episcopus domicilii*; id est: Episcopus Loci, in quo quis habitat actu, & animô manendi; *Unde, excluduntur: Scholares, milites, & alii, qui habitant in civitatibus, sed non animô manendi.* III. *Episcopus beneficii*; id est: Episcopus Loci, in quo quis habet beneficium, præsertim residentiale, quamvis tenue; licèt fortè non resideat ex dispensatione.

557. *Impedimenta ad suscipiendos Ordines, quotuplicia sunt*? ℟. Sunt 2plicia: Impedimenta dirimentia, & Impedientia tantùm.

Impedimenta dirimentia; sunt illa, quæ faciunt ordinationem nullam & invalidam: *Unde*; *si quis habendo impedimentum aliquod dirimens, susciperet Ordines*; *non tantùm peccaret mortaliter, sed etiam ordinatio esset nulla.*

Impedimenta impedientia tantùm; quæ non faciunt ordinationem invalidam, sed tantùm illicitam; *hoc est: si quis habendo aliquod impedimentum impediens, susciperet Ordines; peccaret mortaliter, ordinatio tamen esset valida.*

558. *Quot sunt Impedimenta dirimentia*? ℟.

Sunt



Sunt tria: *Fæmina, non baptizatus, & coáctus; si sit animô prorsus invitô; ut dictum n.* 545.

559. *Quot sunt Impedimenta impedientia tantùm?* ℞. Sunt multa; revocantur tamen ad tria; & sunt hæc: *Peccatum mortale; Censura; & irregularitas. Vide de his n.* 546.

560. *Sacramentum ordinis, quando est institutum à Christo Domino?* ℞. In ultima Cæna, *ut Luc:* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

561. *Episcopatus, an est Ordo distinctus?* ℞. 2plex est sententia: *Una docet*, esse distinctum; *alia docet*, non esse distinctum. *Spectat hoc ad Theologos speculativos.*

562. *Materia ab ordinando, an debet tangi physicè?* ℞. Debet tangi physicè. *Ratio*; quia sic evitatur periculum, ne Ordines suscipiantur invalidè.

563. *An omnes septem Ordines, causant Characterem?* ℞. Omnes & singuli Ordines causánt Characterem partialem, & proportionatum sibi. *Ratio*; quia singuli Ordines sunt Sacramenta, collativa diversæ potestatis; Character autem iste, tunc confertur, quando materia applicata est, & forma est completè prolata.

564. *Quæ sunt requisita ad suscipiendos Ordines ritè & licitè?* ℞. Sunt hæc: I. Requiritur status gratiæ; hoc est: sine peccato mortali. II. Ad omnes Ordines tam majores, quàm minores, præ-requiritur prima tonsura. III. Requiritur certa & suffi-

sufficiens ætas. IV. Requiritur morum probitas, & testimonium de illis. V. Requiritur sufficiens scientia. VI. Requiruntur statuta tempora ab Ecclesia pro suscipiendis ordinibus. VII. Requiruntur debita temporum interstitia. VIII. Requiritur, ut ordinandus, nullum habeat canonicum impedimentum. IX. Pro majoribus Ordinibus, requiritur, ut ordinandus habeat sufficientem titulum mensæ. *Vide de hoc n.* 597.

565. *In Ministro qualis requiritur intentio?* ℟. Optima est actualis; sufficit tamen etiam virtualis. *Vide n.* 377.

566. *Si quis velit, ab alieno Episcopo Ordinari, quibûs literis debet esse instructus?* ℟. Debet habere literas dimissorias, quæ *contineant licentiā ab alio suscipiendi Ordines; causam dimittendi; dispensationem in interstitiis; & de jure communi testimonium de sufficientia doctrinæ; quod tamen ultimum rarò in usu est, in aliquibus partibus.*

567. *Prælati Regulares, an possunt suis subditis regularibus dimissorias concedere?* ℟. Possunt. *Ratio est*; quia expressa habent privilegia, à nullo Concilio neq; à Tridentino revocata. *Tenentur tamen dare dimissorias ad illum Episcopum Diœcesis, in qua est Monasterium, si præsens sit, & habiturus ordinationem; sin secùs, possunt dare dimissorias etiam ad alium Episcopum, expressâ tamen causâ absentiæ, vel ordinationis non habendæ.*



568. *Examinatum & dimissum à proprio Episcopo, an tenetur Episcopus ordinans examinare?* ℟. Non tenetur. *Ratio*; quia nulla lex talis habetur; hoc tamen non obstante, habet plenum jus illum denuò examinandi.

569. *Episcopus, an potest remittere aliquando hoc examen?* ℟. Potest illis, de quorum doctrina aliunde constat, quia cessat finis examinis.

570. *Religiosi an sunt exempti ab hoc examine?* ℟. Non sunt exempti; quia privilegia Religiosorum quò ad hoc, sunt revocata à Tridentino.

CAPUT VI.

De Minoribus Ordinibus in Communi.

571. *Quot sunt Minores Ordines?* ℟. Sunt quatuor: *Ostioratus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolytatus.*

572. *Minores Ordines an sunt Sacri?* ℟. Sunt Sacri in illo sensu, quatenus omnia Sacramenta sunt Sacra. Speciali tamen titulô Majores tantùm Ordines sunt Sacri; *ut dicetur n.* 593.

573. *Ut quis suscipiat minores Ordines, an debet habere testimonium de vita & moribus?* ℟. Debet habere. *Ita disposuit Trident*: Hoc testimonium debet exhiberi, vel à Parocho, vel à Magistro, seu Professore scholæ, in qua ordinandi educantur.

574. *Ad suscipiendos Ordines minores, an requiritur titulus Mensæ?* ℟. Non requiritur. *Ratio*; quia Tridentinum tantùm hoc requirit pro Sacris



cris Ordinibus; constituti autem in minoribus, possunt redire ad statum sæcularem.

375. *Clerici habentes minores Ordines, an habent aliquam annexam obligationem?* ℞. Nullam specialem habent obligationem, obligantur tamen: I. Ad recitandos certos Psalmos sibi ab Episcopo in ordinatione impositos. II. Obligantur ad habitum & tonsuram, si habeant dignitatem Ecclesiasticam, vel beneficium, vel pensionem, sexaginta aureos, de Camera excedentem. III. Obligantur ad Horas Canonicas; si habeant beneficium, vel si sint Regulares choro addicti *&c.*

CAPUT VII.

De Minoribus Ordinibus in specie, seu in particulari. De Ostioratu.

576. *Quid est Ostioratus?* ℞. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas claudendi, aperiendi, & custodiendi Ecclesiam ex Officio.

577. *Quæ est materia Ostioratûs?* ℞. Est duplex: Remota, & Proxima.

Materia Remota Ostioratûs; sunt claves Ecclesiæ.

Materia Proxima; est traditio Clavium earundem.

578. *Quæ est forma Ostioratûs?* ℞. Sunt verba ab Episcopo prolata, sequentia: *Sic age, quasi Deo rationem redditurus pro his rebus, quæ his clavibûs clauduntur.*



579. *Quod est Officium Ostiarii?* ℟. Officia sunt hæc: *Templum claudere, aperire, custodire, admittere dignos, & excludere indignos, &c. Nota: per indignos intelliguntur:* Apostatæ, hæretici, excommunicati, interdicti, infideles &c. *Per canes;* intelliguntur morales Canes, scilicet: *prædicti hæretici, excommunicati &c. Neq. dicas:* Laici etiam claudunt & aperiunt Ecclesiam; proinde hoc officium non convenit solis Ostiariis? ℟. Ostiarii faciunt ex officio habentes potestatem Ecclesiasticam spiritualem, ex legitima ordinatione; secùs sæculares.

De Lectoratu.

580. *Quid est Lectoratus?* ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas legendi Prophetias, & Scripturas in Ecclesia.

581. *Quæ est materia Lectoratûs?* ℟. Est 2plex: Materia remota, & proxima. *Materia remota Lectoratûs,* est *Liber continẽs Sacras Lectiones,* hoc est: continens Epistolas, Prophetias, Homilias, & alios Sanctorum Patrum sermones. *Nota: Si ordinando porrigeretur Breviarium, esset valida ordinatio; quia in Breviario omnia prædicta continentur. Materia proxima;* est traditio ejusdem libri continentis Sacras Lectiones.

582. *Quæ est forma Lectoratûs?* ℟. Sunt verba ab Episcopo prolata in traditione materiæ, hæc: *Accipe, & esto verbi Dei relator &c.*

583. *Quod est officium, seu munus Lectoris?* ℟.

Officia



Officia sunt hæc: I. Legere prædictas Prophetias, Sacram Scripturam, & Evangelium, sed extra Missam. II. Tradere rudimenta Fidei Cathehumenis baptizandis.

De Exorcistatu.

584. *Quid est Exorcistatus?* ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas Spiritualis, faciendi exorcismos super energumenos.

585. *Quæ est materia Exorcistatûs?* ℟. Est 2plex: Materia remota, & proxima. *Materia remota Exorcistatûs*; est liber Exorcismorum. *Materia proxima*; est traditio ejusdem libri Exorcismorum.

586. *Quæ est forma Exorcistatûs?* ℟. Sunt verba ab Episcopo prolata.

587. *Quod est officium, seu munus Exorcistæ?* ℟. Officium est hoc: Manus imponere super energumenos, & legere exorcismos; *quod officium hîs sæculîs peragunt Sacerdotes.*

De Acolytatu.

588. *Quid est Acolytatus?* ℟. Est Ordo Ecclesiasticus, per quem datur potestas spiritualis accendendi lumina, & portandi urceolos pro celebranda Missa.

589. *Quæ est materia Acolytatûs?* ℟. Est 2plex: Remota, & proxima.

Materia remota partialis, Acolytatûs; est

2plex: *Una est*, Candelabrum cum cereo extincto, *secunda est*, Urceoli vacui.

Materia proxima; est traditio præfati candelabri, & urceolorum.

590. *Quæ est forma Acolytatûs?* ℟. Sunt verba ab Episcopo prolata.

591. *Quod est officium Acolytatûs?* ℟. Officia sunt hæc: I. Præparare lumina ad Sacrificium Missæ. II. Ferre cereum, quando legitur Evangelium. III. Subdiacono inservire. IV. Urceolos cum vino & aqua ministrare.

CAPUT VIII.

2. *De Majoribus Ordinibus in communi.*

592. *Majores Ordines, quare vocantur majores?* ℟. Ideo; quia Majorem habent obligationem, quàm minores Ordines; *ut dicetur n.* 596.

593. *Majores Ordines, quare vocantur Sacri?* ℟. Ideo, qu a habent annexum votum castitatis omnes majores ordines; & sic initiati majoribûs, sunt specialiter consecrati Deo, per votum castitatis.

594. *Quot sunt majores Ordines?* ℟. Sunt tres: *Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus*; ad quem pertinet etiam Episcopatus tanquam complementum ejus perfectivum.

595. *Quæ Interstitia requiruntur ad suscipiendos Sacros Ordines?* ℟. Requiritur integer Annus Ecclesiasticus moraliter computandus à tempore, quô Ordo est susceptus, ad idem tempus sequen-



quentis Anni; qui aliquando longior eſt, aliquando brevior. *Notanda ſunt hæc:* I. Per interſtitia intelligitur illud tempus, quod debet intercedere à ſuſceptione unius Ordinis ad ſuſceptionem alterius. II. In interſtitiis poteſt diſpenſare Epiſcopus quò ad ſuos ſubditos, ſi ſit cauſa juſta; hæc autem cauſa eſt: *Utilitas, & neceſſitas Eccleſiæ;* quæ relinquitur prudentiæ Epiſcopi judicanda.

596. *Quot ſunt obligationes majorum Ordinum?* ℟. Sunt tres principales: I. Obligatio ſervandi caſtitatem. II. Obligatio recitandi Horas Canonicas. III. Obligatio deferendi habitum, & tonſuram.

597. *Ad ſuſcipiendos majores Ordines, an requiritur titulus Menſæ?* ℟. Requiritur titulus ſufficiens, *ex Trident:* quia indecens eſt Clericos mendicare, aut turpem quæſtum exercere. Titulus Menſæ eſt 3*plex:* I. *Titulus Beneficii perpetui;* Et hoc beneficium eſt 2plex: *Curatum,* cui annexa eſt cura animarum; & *non curatum,* cui talis cura non eſt annexa. *Dicitur: perpetui;* quia beneficium temporale ad nutum amovibile non ſufficit; poteſt enim amitti; & ſic ordinandus manere ſine ſufficienti ſuſtentatione. *Item;* non ſufficit titulus litigioſus, ob eandem rationem. II. *Titulus Patrimonii vel penſionis;* qui titulus debet eſſe ſufficiens ad decentem ſuſtentationem. *Per titulum Patrimonii,* non tantùm intelligitur Paterna Hæreditas, ſed etiam omnia bona illa, quæ ordinandus juſtô aliquô titulô, ut proprium poſſidet, vel ad tem-

pora vitæ in usum fructum habet. III. *Titulus Paupertatis*; competit solis Regularibus validè, & ritè professis, in Religione approbata.

CAPUT IX.

De Majoribus Ordinibus in specie, seu in particulari.

I. *De Subdiaconatu.*

598. *Quid est Subdiaconatus?* ℞. Est Sacer Ordo, per quem datur potestas legendi solemniter Epistolam, & portandi calicem, cum patena ad altare.

599. *Quæ est materia Subdiaconatûs?* ℞. Materia remota, & proxima. *Materia remota Subdiaconatûs* partialis est 2plex: scilicet: Calix vacuus, cum Patena vacua, & liber Epistolarum. *Materia proxima Subdiaconatûs*, est traditio ejusdem materiæ.

600. *Quæ est forma Subdiaconatûs?* ℞. Sunt verba ab Episcopo prolata, idq; forma est 2plex: *Prima hæc: videte, cujus modi ministerium vobis tradatur &c.* Altera hæc: *Accipite Librum Epistolarum, & habete potestatem &c.*

601. *Quæ sunt officia Subdiaconi?* ℞. Sunt hæc: I. Abluere pallas Altaris & Corporalia. II. Ministrare Calicem, & Patenam Diacono, in usum Sacrificii. III. Epistolam solemniter cantare in Missa. *Nota: Solemniter cantare Epistolam*; idem est, quòd cum Manipulo.

602. *Quæ sunt obligationes Subdiaconi?* ℟. Sunt tres: *de quibus vide. n.* 596.

De Diaconatu.

603. *Quid est Diaconatus?* ℟. Est Sacer Ordo, per quem datur potestas proximè assistendi Presbytero in Missa, & legendi solemniter Evangelium. *Nota: Evangelium solemniter cantare*; id est: cantare cum stola, quæ debet duci à sinistro humero per pectus, & dorsum ad latus dextrum sub brachio dextro.

604. *Quæ est materia Diaconatûs?* ℟. Est 2plex: Remota, & proxima. *Materia remota Diaconatûs partialis est 2plex:* scilicet: I. Impositio manûs dextræ facta ab Episcopo super caput ordinandi. II. Est liber Evangeliorum. *Materia proxima partialis est 2plex:* scilicet: Traditio Libri Evangeliorum; & impositio manûs dextræ ab Episcopo, facta super caput ordinandi.

605. *Quæ est forma Diaconatûs?* ℟. Forma est 2plex: *Prima*, quæ fit ad traditionem Libri Evangeliorum, est hæc: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c. Secunda*; imponendo manus, est hæc: *Accipe Spiritũ S. ad robur & ad resistendum Diabolo, &c.*

606. *Quæ sunt officia Diaconi?* ℟. Sunt hæc: Assistere proximè Presbytero. Cantare Evangelium solemniter. Baptizare solemniter ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis. Solemniter prædicare ex licentia Episcopi. Instruere baptizandos. In absen-

tia

tia Sacerdotis, vel urgente necessitate Ministrare Eucharistiam, &c.

De Presbyteratu.

607. *Quid est Presbyteratus?* ℟. Est Ordo Sacer, per quem datur spiritualis potestas consecrandi Corpus & Sangvinem Christi, & absolvendi fideles à peccatis.

608. *Quæ est materia Presbyteratûs?* ℟. Est 2plex: Materia remota, & materia proxima.

Materia remota partialis, est 2plex: I. Calix cum vino, & patena cum Hostia. II. Ultima manuum impositio facta ab Episcopo super caput Sacerdotis; (*non verò, prima, quæ fit ab Episcopo cum aliis Sacerdotibus saltem tribus.*)

Materia proxima; est traditio calicis & patenæ, ac prædicta impositio manuum.

609. *Quæ est forma Presbyteratûs?* ℟. Sunt verba ab Episcopo prolata. Et hæc forma est 2plex partialis: *Prima*, hîs verbîs: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasq; celebrandi &c. Secunda* hîs verbîs: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.*

610. *Quæ sunt officia Sacerdotis?* ℟. Officia sunt hæc: I. Consecrare & offerre Corpus & Sangvinem Christi Domini. II. Absolvere fideles à peccatis. III. Exceptô Ordine & Confirmatione, administrare Sacramenta populo, suô modô, illumq; doctrinâ, & exemplô bonô, inflammare ad virtutem. IV. Benedicere fructus terræ. &c.



611. *Quæ ætas requiritur ad Sacerdotium?* ℟. Requiritur Annus vigesimus quintus inchoatus, *ut dictum n.* 339.

612. *Quotuplex potestas confertur Presbytero?* ℟. Potestas Ordinis in ipsa Ordinatione, Presbytero confertur 2plex: *Una*, in Corpus Christi verum, ad illud conficiendum. *Altera*, in Corpus Christi Mysticum, ad absolvendos fideles à peccatis. *Vide de hoc n.* 678.

613. *Quotuplex Clavis confertur Presbytero?* ℟. 2plex: Clavis potestatis, & scientiæ.

Clavis potestatis, est potestas, quam habet Sacerdos ad ferendam sententiam super pœnitentes, absolvendo, vel negando absolutionem, vel differendo.

Clavis scientiæ; est potestas, quam Sacerdos recipit ad inquirendum pœnitentem, examinandum, & cognoscendum more Judicis, in ordine ad ea, quæ spectant ad forum internum. *Ratio*; quia Sacerdos non potest ferre sentētiā, nisi præcedat informatio & cognitio.

Nota: Neo-Presbyter in virtute solius potestatis Ordinis, non potest confessiones audire, & absolvere fideles à peccatis. *Ratio*; quia adhuc est simplex Sacerdos, non approbatus, neq; habens potestatem Jurisdictionis. Si tamen contingeret moribundus (*& non adesset Sacerdos approbatus*) potest absolvere illum; quia in hoc casu Ecclesia dat omnibus Sacerdotibus potestatem. *Vide n.* 677. 768.

614. *Sacerdotes doctiores, an excellunt Sacer-*

cerdotes minus doctiores? ℟. Non excellunt. *Ratio*, quia omnes Sacerdotes habent æqualem potestatem absolvendi & examinandi pœnitentes. *Sacerdotes tamen doctiores, possunt habere aliqualem excellentiam in hoc*; quòd meliùs possint uti clavi scientiæ, quàm minùs doctiores, quatenus possunt cum majori discretione inquirere, quæ sunt necessaria, abstinendo ab inquisitione illorum, quæ sunt superflua. *Indocti* verò, è contra possunt abuti hâc clavi, si negligant inquirere, quæ sunt inquirenda; aut inquirant illa, quæ nullatenus sunt inquirenda. *V. n.* 698.

TRACTATUS XIII.

De Sacramento Pœnitentiæ & de aliis materiis, directè spectantibus ad Confessarios.

CAPUT I.

De Natura, & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

615. *Pœnitentia ut sic, quotupliciter potest sumi?* ℟. 2pliciter: *Pœnitentia, ut est Sacramentum, & Pœnitentia, ut est virtus.*

Pœnitentia, ut est Sacramentum, potest describi sic: *Est Sacramentum novæ legis, à Christo Domino institutum ad remissionem peccatorum, post baptismum commissorum.*

Pœnitentia, ut est virtus, potest describi sic: *est virtus moralis supernaturalis movens &*

in-

inclinans voluntatem ad dolorem & detestationem peccatorum. v.g. Dolor de peccatis; propositum ampliùs non peccandi; satisfactio pro peccatis; & alii actus; sive illi sint eliciti, sive imperati.

616. *Pœnitentia, ut est virtus, quò differt à Pœnitentia, ut est Sacramentum?* ℟. Differt per hoc I. Quia virtus pœnitentiæ fuit ab initio mundi ante adventum Christi; Sacramentum verò non fuit, sed inceptum, & institutum est à Christo Domino. II. Virtus pœnitentiæ potest haberi sine Sacramento; è contra Sacramentum, nullatenus potest haberi sine actibus virtutis pœnitentiæ; quia actus pœnitentis sunt partes essentiales constituentes Sacramentum pœnitentiæ. III. Pœnitentia, ut est virtus, ponitur sub genere habitûs; jam verò Sacramentum pænitentiæ, ponitur sub genere signi.

617. *Sacramentum Pœnitentiæ, quomodo est necessarium ad salutem?* ℟. Est necessarium necessitate medii, & necessitate præcepti in re, vel in voto saltem implicito illis; qui peccârunt mortaliter post baptismum (*est certum inter omnes Catholicos.*)

618. *Sacramentum Pœnitentiæ quando est institutum à Christo Domino?* ℟. Inchoativè ante Resurrectionem; completivè post Resurrectionem, quando insufflavit in Discipulos suos dicens:: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata &c. Joan: 20.*

619. *Essentia Sacramenti pœnitentiæ, in quo adæquatè consistit?* ℟. Adæquata essentia Pœnitentiæ consistit in absolutione tanquam forma; & in actibus pœnitentis tanquam in materia proxima; actûs autem pœnitentis, sunt tres: *Dolor, confessio, & satisfactio.*

620. *Quotuplex est materia Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Est 2plex: Materia remota, & materia proxima.

Materia remota pœnitentiæ; sunt peccata personalia post Baptismum commissa.

Materia proxima pœnitentiæ; sunt actus pœnitentis, (*ut dictum est*) *Dolor, confessio, & satisfactio.*

621. *Satisfactio actualis, an est pars essentialis pœnitentiæ:* ℟. Satisfactio in voto, est pars essentialis; jam verò satisfactio actualis, est pars tantùm integralis. *Ratio*; quia Sacramentum Pœnitentiæ sine satisfactione in re exhibita, pro priori habet suam adæquatam essentiam, & præstat suum effectum, licèt non habeat totalem perfectionem, tanquam sine sua parte integrante.

622. *Propositum satisfaciendi, an est pars essentialis?* ℟. Est pars essentialis; quia satisfactio in voto, est ipsum propositum satisfaciendi.

623. *Peccata, an sunt pars essentialis pœnitentiæ?* ℟. Non sunt pars essentialis. *Ratio*; quia peccata tantùm sunt materia remota, circa quam versatur pœnitentia; non sunt autem materia proxima, ex qua constituitur.

624. *Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Sunt hæc verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis. Vide de hoc n. 656.*

CAPUT II.

De Materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ.

625. *Quotuplex materia remota Pœnitentiæ?* ℟. Est 2plex: Materia necessaria, & materia sufficiens, seu libera.

Materia necessaria; est omne peccatum mortale, post Baptismum commissum, & non confessum.

Materia sufficiens; sunt omnia peccata venialia, post Baptismum commissa; & peccata mortalia ritè confessa. *Unde infer:* Peccata venialia, cum sint materia libera, possunt omitti omnia, vel aliqua. *Item*, possunt omitti mortalia semel ritè confessa. *v.g.* in confessione generali. *Est communis DD.*

626. *Peccatum originale, & peccatum personale ante Baptismum commissa, an sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Non sunt absolutè, materia apta, *est communis.*

627. *Solæ imperfectiones, an sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Non sunt. *Ratio*; quia imperfectiones ut tales, neq; sunt peccatum mortale, neq; veniale.

628. *Peccata mortalia inculpabiliter omissa, an sunt materia necessaria confessionis?* ℟. Sunt materia necessaria. *Ratio constat*; ex propositione damnata ab Alexandro VII. quæ est talis: *Pecca-*



ta in confessione omissa, ob instans periculum vitæ, aut aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

CAPUT III.

De Materia Proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

De Contritione.

629. *Contritio genericè sumpta quid est?* ℟. Est dolor de peccato commisso, cum proposito ampliùs non peccandi. (*Hæc descriptio est conformis Trident: Sess. 14. cap. 4.*) Unde constat, quòd ad omnem dolorem de peccatis duo requirantur: *Odium seu displicentia peccati; & propositum ampliùs non peccandi.*

630. *Quotuplex est Contritio?* ℟. Est 2plex: Contritio perfecta, & contritio imperfecta, quæ aliter dicitur: *attritio.*

Contritio perfecta; est dolor elicitus ex motivo charitatis propter Deum summè dilectum; seu propter infinitam ejus amabilitatem. *Unde, contritio perfecta, tunc est, quando peccator dolet de peccatis non propter suum cõmodum, aut incommodum, neq; propter damnum, aut æternam pœnam; sed ex sincero amore erga Deum dolet de peccato, quatenus est offensa Dei.* Nota: *Contritio perfecta est actus elicitus ab habitu charitatis, non verò ab habitu pœnitentiæ; & includit semper actum charitatis implicitè. Ita Bonacina & alii communiter.*

Con-



Contritio imperfecta, seu attritio; est dolor supernaturalis, qui concipitur ex alio motivo supernaturali, nō verò ex motivo charitatis *v.g. ex turpitudine peccati, ex metu gehennæ, & æternarū pœnarum, vel propter amissam æternam beatitudinem.*

631. *An sufficit attritio ad justificationem & remissionem peccatorum?* ℞. Sufficit in Sacramento Pœnitentiæ attritio, dummodo omnia habeat requisita (*de quibus mox n.* 633.) *Ita communiter DD.*

632. *Contritio perfecta, an potest justificare extra Sacramentum?* ℞. Potest justificare etiam extra Sacramentum, cum voto tamen saltem implicito suscipiendi Sacramentum, *est communis TT.*

633. *Dolor sive sit contritio, sive attritio, ut sit sufficiens, qualis debet esse?* ℞. Requiritur, ut dolor sit: *Formalis, internus, supernaturalis, universalis respectu peccatorum mortalium, efficax, & appretiativè summus.* Explico hos terminos: I. *Requiritur dolor formalis*, scilicet, debet esse actualis de peccatis commissis, & simul propositum ampliùs non peccandi. II. *Dolor debet esse actus internus*; non requiritur autem externus. III. *Dolor debet esse universalis*; id est: debet esse dolor de omnibus peccatis commissis. IV. *Dolor debet esse supernaturalis*; hoc est: factus ex motivo supernaturali, auxiliante & cooperante gratiâ Dei. *Ita Trident: Sess:* 6. *Can:* 3. V. *Dolor debet esse efficax, & absolutus*; id est: debet excludere omnem affectum ad peccatum mortale, &

debet continere propositum firmum servandi omnia mandata, & adhibendi omnia media ad fugam peccati; *media autem* hæc possunt esse: *destruere causas peccati, fugere occcasionem proximam ad peccandum, habere mortificationem sensuum, & cupiditatum, confugere ad orationem, mortificationem &c.* VI. *Dolor debet esse appretiativè summus*; hoc est: peccator debet odiô habere peccatum, supra omnia alia mala; debet esse paratus carere omni bonô, & pati omnia mala potiùs, quàm peccare mortaliter. *Itē*, debet præferre amicitiam Dei omnibus rebus creatis *&c.* VIII. *Tandem dolor debet esse conjunctus cū spe veniæ &c. Plura apud Casistas.*

634. *Contritio & attritio an differunt inter se?* ℞. In aliquibus conveniunt secum; in aliquibus differunt.

Contritio, & attritio conveniunt in his: I. quòd utraq; versetur circa peccatum detestando illud, ut est offensa Dei. II. Utraq; excludit voluntatē peccandi. III. Utraq; debet esse supernaturalis, elicita ex motivo supernaturali, & cum auxilio gratiæ Divinæ. IV. Utraq; est regulata per fidem Divinam, & ex motivo à Deo revelato Ecclesiæ Catholicæ.

Contritio, & attritio differunt in his: I. Quia contritio procedit ex perfectiori motivo, scilicet ex *motivo charitatis Divinæ*; secùs attritio. II. Quia Contritio perfecta, est dispositio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum pœnitentiæ, cum voto confitendi peccata; jam verò attritio non est

suffi-

ſufficiens extra, niſi intra Sacramentum.

635. *Contritio, & attritio, an neceſſariò includunt propoſitum ampliùs non peccandi?* ℞. Tam contritiò, quàm attritio neceſſario includunt propoſitum ampliùs non peccandi; *ut patet ex definitione contritionis ut ſic: n.* 629.

636 *Propoſitum hoc, ampliùs non peccandi, ut ſit ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, qualo debet eſſe.* ℞. Debet eſſe: *Supernaturale, efficax, Univerſale abſolutum &c.* ut in ſimili dictum eſt de dolore *n.* 633.

637. *Propoſitum hoc, an debet eſſe formale, an virtuale, in Sacramento Pœnitentiæ?* ℞. Ordinariè, & regulariter, requiritur propoſitum formale, & expreſſum. *Dicitur: ordinariè, & regulariter;* quia probabiliter contra quosdam docetur; quòd propoſitum virtuale ſufficiat ad valorem Sacramenti. *Porrò Propoſitum formale, ſeu expreſſum,* eſt tunc: quando pœnitens poſt dolorem, alium actum diſtinctum expreſſè elicit, quò proponit ampliùs non peccare. *Propoſitum virtuale, ſeu implicitum;* eſt illud: quòd eſt incluſum in ipſo actu doloris; qui enim ſeriò corde contritô dicit ſibi diſplicere peccata; eo ipſò implicitè reputatur dicere, ſe nolle ampliùs illa committere.

638. *In Sacramento Pœnitentiæ, an ſufficit attritio naturalis ad juſtificationem?* ℞. Non ſufficit, ſed neceſſariò requiritur dolor ſupernaturalis.

639. *Qui de novo confitetur peccata, jam ritè*



confessa, an requiritur novus dolor de illis? ℟. Quoties datur nova absolutio, tutiùs & in praxi requiritur novus dolor. *Ratio*; quia hôc casu esset invalidum Sacramentum ex defectu partis essentialis, requisitæ ad valorem Sacramenti. *V. n.* 661.

640. *Dolor an debet præcedere absolutionem, & confessionem?* ℟. Certum est, quòd dolor debeat præcedere absolutionem. *Ratio est*; quia absolutio cum sit forma, debet applicari materiæ essentiali, scilicet: tam confessioni, quâm dolori; *Ergo*, sicut confessio, ita dolor, debent præcedere. *De confessione autem*, utrum illam debeat præcedere dolor: pro & contra habentur Authores; tamen in praxi consulendum est pœnitentibus, ut dolorem præmittant confessioni; hoc enim est tutiùs; jam verò in essentialibus Sacramentorum, tutiora sunt sequenda.

De Confessione.

641. *Quid est confessio?* ℟. Est accusatio Sacramentalis de propriis peccatis coram Sacerdote legitimo ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem. *Dicitur: coram Sacerdote legitimo*, scilicet: coram tali Sacerdote, qui habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam.

642. *Quot sunt conditiones, ad bonam & rectam Confessionem?* ℟. Sunt 16. expressæ sequentibûs versibûs:

Sit



Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, diſcreta, libens, verecũda,
Integra, ſecreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Adverte; Ex his omnibus conditionibus tantùm tres neceſſariæ ſunt ad valorem Sacramenti; ſcilicet: Fidelitas, integritas, & dolor. Reliquæ autem conditiones conducunt ad fructuoſam participationem Sacramenti; ſunt enim valdè utiles, & valdè proficuæ; & reducuntur ad præfatas tres conditiones.

643. *Confeſſio Sacramentalis quotupliciter poteſt dici integra?* ℟. Poteſt dici 2pliciter: *Integra materialiter, & formaliter.*

Integritas materialis; tunc eſt; quando nullô omiſsò peccatô, omnia peccata in confeſſione exprimuntur, quò ad numerum, quò ad ſpecies, & quò ad circumſtantias.

Integritas formalis, tunc eſt; quando in confeſſione exprimuntur omnia illa peccata mortalia, quæ hìc & nunc exprimenda dictat conſcientia; licèt aliqua omittantur inculpabiliter; vel ex oblivione, vel propter juſtam rationem; ut mox *n.* 645.

644. *Ad validam confeſſionem, qualis requiritur integritas?* ℟. Per ſe & ordinariè loquendo, requiritur, integritas materialis, conſiſtens in eo, ut in confeſſione omnia peccata mortalia memoriæ occurrentia, nondum confeſſa exprimantur, quò ad numerum, quò ad ſpeciem, & quò ad circumſtantias, ſpeciem mutantes. *Eſt communis. Di-*

citur: per se & ordinariè loquendo; quia per accidens, aliquando sufficit integritas formalis ad confessionem in quibusdam casibus, de quibus infra. *Ratio est*; *tum quia*; confessio materialis sæpè est impossibilis, non tantùm moraliter, sed etiam physicè. *Tum quia*; ita semper tenuit, & tenet Ecclesia. *Tum quia*, jugum Christi est svave & dulce; *Ergo*, dum non potest esse confessio integra materialiter, sufficit integra formaliter.

645. *Quæ causæ excusant ab integritate materiali?* ℞. Communiter assignantur tres: oblivio invincibilis, seu inculpabilis, impotentia physica, & impotentia moralis.

Impotentia physica in his casibus: I. Si sit oblivio invincibilis præmissô diligenti examine: *unde valida est confessio, si quis ex oblivione inculpabili omitteret aliquod peccatum mortale.* II. Excusantur muti, aut valdè balbutientis lingvæ, si non possint exprimere peccata per gestus, vel per alia signa, tamen tenentur, quantùm possunt. III. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionẽ, nisi mox detur; hôc casu auditîs aliquot peccatîs debent absolvi. IV. Si Confessario, vel pœnitenti immineat periculum vitæ, *v.g.* Incendii, vel naufragii, vel belli. V. Excusantur etiam illi, quorum idioma tantùm ex parte potest intelligi à Confessario, & non habeant alium Confessarium; sitq; necessitas confitendi, vel urgeat præceptum annuæ confessionis.

Impotentia moralis in his casibus: I. Si certò

præ-

prævideatur Confessarius, violaturus sigillum. II. Necessitas servandi sigillum alienæ confessionis, id est: quando Sacerdos non potest confiteri suum peccatum sine fractione sigilli. III. Quando pœnitens timet grave damnum sui, vel proximi, *vg.* diffamationem. IV. Si pœnitens timeat, ne à Confessario solicitetur, vel ne præbeat occasionem spiritualis ruinæ. V. Si infirmus deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, & propter gravitatem morbi non possit fieri dilatio absolutionis. VI. Si tempore pestis periculum sit judiciô prudentum, ne Confessarius inficiatur; *interea si ipse Confessarius ex zelo, velit totam confessionem audire, pœnitens ad id tenetur.*

Sciendum 1mo: Magnus concursus populi in die Indulgentiæ, vel Festivitatis magnæ. *vg.* Paschatis, non excusat ab integritate confessionis. *Ratio, quia,* Innocentius XI. damnavit illam propositionem: *Licitum est Sacramentaliter obsolvere dimidiatè confessos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis vg. potest contingere in die alicujus magnæ festivitatis, aut indulgentiæ.*

Sciendum 2do: Quandocunq; peccatum est omissum *propter justam causam, vel impotentiam;* semper manet obligatio confitendi peccata omissa sublatô impedimentô; non verò illa peccata, quæ jam est confessus. *Secùs, si omiserit non ex justa ratione, sed ex timore, vel verecundia;* tunc omnia peccata tenetur confiteri, & non tantùm omissa.

missa. *Ratio*; quia hoc casu fuit confessio sacrilega, & invalida; in primo autem casu, defactò confessio est valida.

646. *Examen conscientiæ, an est necessarium ante confessionem?* ℟. Omnino est necessarium examen, idq; diligenter factum. *Ita Trid: Sess: 14. cap. 5. Diligentia verò in examine conscientiæ*, non debet esse summa & scrupulosa, sed mediocris & humana; qualem solemus adhibere in rebus, & negotio magni momenti, & quæ diligentia sufficit moraliter ad cognoscenda commissa peccata.

647. *Confessio an debet fieri coram Sacerdote præsente?* ℟. Debet necessariò fieri. Unde invalida esset confessio, si esset per literas, vel nuncium quamvis esset in articulo mortis. *Ratio*; quia Clemens VIII. Contrariam sententiam damnavit, ut falsam, temerariam, & scandalosam, eamq; prohibuit doceri sub excommunicatione. *Plura apud Casistas.*

648. *Quando facienda est confessio generalis?* Ante Responsionem, *Nota*: Confessio generalis est 2plex: *Primò: Confessio obligatoria*; quæ necessariò est facienda propter defectum essentialem in prioribus confessionibus. *Secundò: Confessio non obligatoria, seu libera*, quæ solet fieri liberè propter devotionem, & majorem animæ profectum. *Utraq; confessio generalis adhuc est 2plex: Primò:* quando fit confessio peccatorum ex tota vita. *Secundò*: quando fit confessio ab uno, vel pluribus

annis,

annis, præcipuè à generali confessione. *Hôc prænotatô.* ℞. *1mo:* Confessio obligatoria generalis debet fieri passim in his casibus: I. Quando in prioribus confessionibus culpabiliter fuit omissum aliquod peccatum mortale. II. Quando defuit verus dolor, quamvis fuerit facta confessio integra. III. Quando defuit efficax propositum, non peccandi ampliùs.

℞. *2dò:* In confessione generali non obligatoria, pœnitens debet priùs confiteri peccata, ab ultima confessione commissa; *deinde*, confiteri peccata antiquiora, sive omnia, sive aliqua; uti placet. *In tali confessione non obligatoria*, etiam pro gravibus peccatis antea ritè confessis, non debet imponi gravis pœnitentia; si autem confiteatur peccata necdum confessa, tunc pœnitentia debet injungi proportionata peccatis.

℞. *3tiò: Confessio generalis non obligatoria*, non debet facile permitti scrupulosis; neq; illis, qui vitam impuram egerunt, ne labantur in majora animæ incommoda, & tentationes.

De Satisfactione.

649. *Quid est satisfactio Sacramentalis?* ℞. Est compensatio pœnæ temporalis per bona opera, imposita pro peccatis à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ. *Dicitur: satisfactio Sacramentalis*; quia datur etiam satisfactio non Sacramentalis; scilicet illa, quam pœnitens spontè per se ipsum suscipit; *vg. exercendo pia, & laboriosa opera; patien-*

patienter tolerando hujus vitæ mala, & ærumnas à Deo inflictas.

650. *Quæ opera bona possunt imponi pro satisfactione?* ℞. Possunt imponi omnia opera bona & salutaria, quæ opera secundùm Sanctos Patres & Concilium Tridentinum reducuntur ad tria capita; & sunt hæc: *Oratio, jejunium, & eleemosyna.*

Ad orationem reducuntur bona opera hæc: Oratio vocalis, vel mentalis, Examen quotidianum conscientiæ, auditio Missæ, meditatio de quatuor novissimis, de Passione Christi Domini, *&c.* lectio librorum spiritualium, auditio concionum, frequens confessio, & Communio, preces variæ, fuga otii, fuga occasionum peccandi, actus frequens fidei, spei, charitatis, contritionis *&c.* Cogitatio præsentiæ Dei frequens, recollectiones & exercitia spiritualia, singulares preces ad Passionem Christi Domini, ad Beatissimam, vel ad alios Sanctos.

Ad jejunium reducuntur hæc bona opera: Jejunium per aliquot dies, cilicia, disciplinæ, humicubationes, peregrinatio, vigiliæ, opera humiliationis, & contemptûs sui, & alia quæcunq; afflictio ac castigatio corporis.

Ad eleemosynam; spectant omnia opera misericordiæ, tum corporalia, tum spiritualia; uti sunt hæc: eleemosynam dare pauperi, excipere peregrinos, curare infirmos. *vide de his n. 198.*

651. *Satisfactio quotuplex est?* ℞. *Est 2plex:* Alia vindicativa, alia medicinalis.

Satisfactio vindicativa, est illa, quæ imponi-

tur



tur ad tollendam pœnam temporalem debitam peccatis.

Satisfactio medicinalis, quæ imponitur pœnitenti, ut illum præservet à relapsu in peccata.

652. *Confessarius an tenetur imponere satisfactionem?* ℟. Tenetur imponere pœnitenti valenti illam exequi. *Est communis. Tum quia*, ita Concil: Trident: *Sess:* 14. *cap:* 8. *Tum quia*, talis est traditio, & continua praxis Ecclesiæ. *Tum quia*, satisfactio in voto (*scilicet in proposito illam adimplendi*) est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, cum sit materia proxima; jam verò in executione est pars integralis; Ergo minister quantùm potest, tenetur procurare validitatem & integritatem Sacramenti, consequenter *&c.*

653. *Confessarius qualem tenetur imponere satisfactionem?* ℟. Tenetur imponere satisfactionem salutarem, & convenientem tum vindicativam, tum medicinalem, proportionatam gravitati peccatorum, & dispositioni pœnitentis. *Ita Trid: Sess:* 14. *cap:* 8.

654. *Quæ sunt causæ & rationes, ob quas potest pœnitentia minor imponi, quàm justitia exigit?* ℟. Præcipuè sunt causæ hæ: I. Magna contritio, si pœnitens nimis sit contritus. II. Infirmitas, vel fragilitas, si timeatur pœnitens non impleturus pœnitentiam. III. Tempus Jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ. IV. Si pœnitens multa bona exerceat; unde minor pœnitentia imponitur religiosis, & piis, quàm viris plebejis, & sæcularibus. V. Si

Con-

Confessarius per se ipsum velit satisfacere; uti legitur de quibusdam Sanctis. *Ita Elbel noster, & alii communiter.*

655. *Ut Sacramentū validè & licitè suscipiatur ab adultis ratione utentibus, quæ sunt requisita?* ℟. Hôc locô non tantùm pro Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam pro omnibus Sacramentis universaliter hæc sunt observanda.

Primò: Ad suscipiēda Sacramēta mortuorū; nimirū: ad suscipiendū Baptismū & Sacramentū pœnitentiæ, in adultis requisita sunt hæc: I. Ut habeant intentionem suscipiendi; optima est actualis & virtualis; communiter tamen Doctores censent in suscipiente sufficere habitualem. *Ita Lacroix, Herzig, Felix Potestas, & alii.* II. Requiritur dolor supernaturalis de peccatis, saltem attritio. III. Requiritur fides & spes saltem virtualis; secundùm illud: *ad Hæbr:* 11. *Accedentem ad Deū oportet credere: &c.* (*in simili dictū n.*272.)

Secundò: Ad Sacramenta vivorum requisita sunt hæc: I. Intentio (*ut dictum immediatè*) II. Fides & spes saltem virtualis, & implicita, inclusa in voluntate ea suscipiendi. III. Requiritur status gratiæ. IV. Ad suscipiendam Eucharistiam requiritur jejunium naturale, ob speciale privilegium. V. Non tantùm ad suscipienda Sacramenta vivorum, sed etiam ad suscipiendum Sacramentū pœnitentiæ, requiritur Baptismus, tanquam janua omnium Sacramentorum.

❧)(*)(❧

CAPUT IV.

De forma, seu absclutione Sacramenti pœnitentiæ.

656. *Quæ est forma Sacramenti Pœnitentiæ?* ℞. Forma ordinaria saltem ex præcepto est hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Nota*: Utrum omnia verba prædicta spectent ad essentiam & valorem Sacramenti? Varii Doctores variè docent; securiùs tamen dicendum: quòd necessaria sint verba ad valorem hæc: *Absolvo te à peccatis tuis.*

657. *Preces & orationes tum antecedentes, tum consequentes, an sunt de essentia formæ?* ℞. Non sunt de essentia, tamen non debent omitti sine necessitate. *Plura Rituale Romanum.*

658. *An est de essentia absolutionis, ut forma prædicta proferatur ore, voce, & verbis formalibûs?* ℞. *Affirmativè. Constat ex Florent: in decr. Union:* Unde Confessarius, privatus loquelâ, quamvis non adesset alter, in nullo casu potest absolvere pœnitentem scriptô, nutu, vel verbîs mente prolatîs. *Ita communiter DD.*

659. *Verba absolutionis, quomodo sunt proferenda?* ℞. Debent proferri bîs modîs: I. Debent proferri authoritativè, non deprecativè. II. Debent proferri vocaliter, hoc est: per verba formalia. III. Debent proferri super pœnitentem præsentem moraliter, ita, sicut homines communiter inter se possunt loqui. IV. Forma absolutionis debet

bet proferri submissâ voce & non clamorosâ; maturè, compositis manibus, modestè, & devotè *&c.*

660. *Absolutio, an est valida data absenti, qui confiteretur per Epistolam, vel nuncium?* ℟. Non est valida. *Est communis DD. Ratio; tum quia* talis est praxis Ecclesiæ, in qua nunquam datur absolutio moribundis absentibus, quamvis sine absolutione morituris. *Tum quia; Clemens VIII.* damnavit illam propositionem: *Licere per literas, vel inter nuncium Confessario absenti, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. V. n. 647.*

661. *Quando pœnitens post datam obsolutionem, novum peccatum, unum vel plura subjungeret, quid faciendum?* ℟. Si peccatum sit mortale, vel circumstantia speciem mutans, vel notabiliter aggravans, debet repeti absolutio, & superaddi aliqua major satisfactio. *Ratio est;* quia materia necessaria nondum est subjecta clavibus. *Addit tamen noster Elbel:* quòd repetitio hæc absolutionis debeat esse cauta, & tacita, ne inde suspicio, vel scandalum oriatur.

Dicitur: si sit peccatum mortale; quia si sint peccata venialia, non debet repeti absolutio, quia hujus nulla est necessitas, maximè, quando dolor fuit verus.

662. *Absolutio an valet sub conditione?* ℟. Circa absolutionem conditionatam, hæc sunt observanda: I. Absolutio sub conditione data de præsenti, vel de præterito valet, *v.g. Ego te absolvo,*

si



si es dispositus, si es absolutionis capax, si non es absolutus, si restituisti, ut asseris, &c. Ratio; quia per talem absolutionem neq; Sacramentum, neq; effectus Sacramenti suspenditur. *Interim*, Si Confessarius absolveret sub conditione sine necessitate; graviter peccaret contra reverentiam Sacramenti, & contra usũ Ecclesiæ. II. Absolutio sub conditione de futuro est invalida & nulla; *vg. Absolvo te, si cras facias restitutionem, si agas pœnitentiam, &c.*

663. *Absolutio conditionata de præsenti, vel de præterito, in quibus casibus est licita?* ℟. præcipuè licita est in casibus his: I. Quando Confessarius prudenter dubitat, an pœnitens sit dispositus. II. Quando dubitat, an pœnitens verè peccaverit, & an habeat usum rationis. III. Quando dubitat, an adhuc vivat. IV. Quando Confessarius de se ipso dubitat, an ritè pronunciaverit verba essentialia. *Nota*: Quando absolutio ex necessitate datur sub conditione, non requiritur, ut conditio exprimatur formalibûs verbîs, sed sufficit mente & intentionaliter.

CAPUT V.

De Ministro pœnitentiæ, seu de Confessario, & ejus requisitis.

SECTIO I.

De Confessario.

664. *Quid est Confessarius?* ℟. Est Sacerdos ha-

habens poteſtatem abſolvendi fideles à peccatis in foro Sacramentali.

665. *Poteſtas abſolvendi, quô aliô nomine appellatur?* ℟. Appellatur aliter: *Poteſtas Clavium Eccleſiæ*, ex eo, quia Confeſſarius dum abſolvit pœnitentem, dicitur cœlum aperire; dum denegat abſolutionem, dicitur: claudere cœlum. *Unde, ſubjicere peccata clavibus*, nihil aliud eſt, niſi peccata confiteri Confeſſario.

666. *Quod eſt officium Confeſſarii?* ℟. Eſt confeſſionem pœnitentis audire, diſponere illum, & diſpoſitum injunctâ ſalutari pœnitentiâ, abſolvere.

667. *Quotuplex eſt officium Confeſſarii?* ℟. Eſt 3plex: ſcilicet: *Judicis, Doctoris, & Medici.* I. *Ut Judex*; debet diſcernere inter lepram & lepram; id eſt: debet ſcire, quæ ſunt peccata mortalia? quæ venialia? *ut dicetur n.* 686. II. *Ut Doctor*; debet pœnitentem docere neceſſaria, neceſſitate medii & præcepti, & omnia illa, quæ ſunt neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. III. *Ut Medicus*; tenetur modos & remedia pœnitenti adhibere ad vincendas tentationes, ad fugienda peccata, & ad emendandam vitam.

668. *An ſolus Sacerdos, eſt legitimus Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ?* ℟. Solus Sacerdos habens poteſtatem ordinis, & jurisdictionis. *Ita Trid: Seſſ:* 14. *cap:* 6. *de Pœnit: Sacram:* Unde Laicus, & omnis, qui non eſt Sacerdos, in nullo caſu poteſt abſolvere.

669. *Quæ ſunt requiſita, ut Confeſſarius valide*

lidè



lidè administret Sacramentum Pœnitentiæ? ℟. Sunt sequentia: I. Requiritur, ut Confessarius sit approbatus, & habens jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. II. Requiritur intentio actualis, vel saltem virtualis absolvendi. III. Requiritur, ut materia, & forma sit valida.

670. *Quæ sunt requisita, ut Confessarius licitè administret Sacramentum Pœnitentiæ?* ℟. Sunt sequentia: I. Ut nihil desit ad valorem; semper enim illicitum est conficere Sacramentum invalidum. II. Ut Confessarius habeat *scientiam competentem.* III. *Debet habere probitatem vitæ;* ne ipse sordescat, alios mundando. IV. Debet habere *prudentiam sufficientem.* V. Debet scire *naturam sigilli confessionis, & suam obligationem servandi illud intactè; ut mox infra n.* 699.

SECTIO II.

De Approbatione Confessarii.

671. *Quid est approbatio?* ℟. Est authentica declaratio, seu testimonium de idoneitate Sacerdotis in ordine ad excipiendas confessiones.

672. *Approbatio quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Expressa & tacita.

I. *Approbatio expressa;* quæ fit per verba expressa, vel authenticum rescriptum. *Unde* hæc approbatio expressa, includit in se duos actus ex parte approbantis; *Unum internum,* id est: judicium probabile de sufficientia, & capacitate Confessarii.

Alterum actum externum; id est: aliquod signû illius judicii verbô, vel scriptô expressum.

II. *Approbatio tacita*; est illa, quæ ipsô factô, vel facti conniventiâ conceditur; *vg.* per dissimulationem, vel si Parocho concedatur beneficium curatum, *&c.*

673. *Approbatio & jurisdictio, an sunt idem?* ℞. In rigore non sunt idem. *Ratio*; *tum quia*, Approbatio & jurisdictio sunt secum separabiles; potest enim quis judicari aptus & idoneus, sine tradita jurisdictione. *Tum quia*, Approbatio, est *actus intellectûs*; est enim judicium de capacitate. Traditio verò jurisdictionis, debet esse, *actus voluntatis*; quô superior vult conferre, & defactò confert jurisdictionem.

674. *Ad absolvendos sæculares, an omnino necessaria est approbatio?* ℞. Omnino est necessaria, ut sit approbatio Confessariorum etiam Regularium. *Ita Trid: Sess: 23. cap. 15. de Reform.*

675. *An requiritur approbatio Episcopi, ad excipiendas confessiones Religiosorum?* ℞. Non requiritur ab Episcopo, sed requiritur à suis Superioribus. *Ita communiter DD.* Secundùm statuta Ordinis nostri, hæc approbatio non spectat ad Superiores locales; *vg.* Gvardianos, sed ad ipsum Provincialem, vel Generalem.

676. *Confessarius ab Episcopo approbatus an eò ipsô censetur esse approbatus pro monialibus?* ℞. Non censetur esse approbatus, sed requiritur specialis approbatio pro monialibus. *Ita decrevit Cle-*

mens



mens X. & Greg: XV. tam de Confessariis ordinariis, quàm de extraordinariis. V. n. 688.

677. *Sacerdos simplex, non approbatus an potest absolvere in articulo mortis?* ℟. Certum est posse. *Ratio*; quia in hoc casu Ecclesia dat omnibus Sacerdotibus potestatem absolvendi etiam hæreticis, excommunicatis *&c.* idq; dat potestatē absolvendi etiam à casibus reservatis & à censuris; quia in articulo mortis nulla est reservatio. *Ita Tridentinū.* *Nota:* I. *Articulus mortis propriè*, est illud tempus, quô mors certò instat proximè, & est inevitabilis. II. Multi Doctores sub articulo mortis comprehendunt periculum probabile mortis; *Periculum autem mortis, est illud*; in quo certò non instat mors, tamen probabiliter timetur ex frequentibus casib9; *uti fit in prælio, in longa & periculosa navigatione &c. Plura v. infra n. 768.*

SECTIO III.

De Jurisdictione Confessarii.

678. *Quotuplex est Potestas ut sic?* ℟. Est 2plex: *Potestas ordinis & jurisdictionis.* I. *Potestas ordinis*, est illa, quæ confertur in ipsa ordinatione Sacerdotis. II. *Potestas jurisdictionis*, quæ supposita potestate ordinis, confertur à Superiore; & potest describi sic: *Est potestas Judicialis ligandi & solvendi pœnitentem in foro interno Sacramentali.*

Nota: In ordinatione licèt Sacerdoti detur *plena potestas consecrandi Corpus, & Sangvinem*



Christi Domini; tamen non datur *plena Potestas absolvendi fideles à peccatis*; nisi in articulo mortis. *V. n.* 613.

679. *Potestas jurisdictionis, quò differt à potestate Ordinis?* ℟. Differunt per hoc: quia *Potestas Ordinis* (*quæ dicitur in Corpus Christi mysticum*;) est Potestas inchoata, incompleta, & in actu primo sumpta; *Potestas verò jurisdictionis*, est proxima, completa, & in actu secundo, ex eo, quia illam complet & proximè expeditam facit, cum designatione subditorum; *omnis enim jurisdictio requirit subditos.*

680. *Potestas Jurisdictionis quotuplex est?* ℟. Est 2plex: Potestas ordinaria, & Delegata.

Potestas Jurisdictionis ordinaria; est illa, quæ alicui competit ratione officii, quô fungitur; *vg. ratione officii Episcopalis, Parochialis &c.*

Potestas Jurisdictionis Delegata; quæ habetur vi concessionis factæ ab illo, qui habet ordinariam jurisdictionem. *Et talem potestatē delegatā in sæculares habēt, vg. Religiosi approbati ab Episcopo, nullum habentes beneficium curatum &c.*

681. *Qui habent jurisdictionē ordinariam?* ℟. I. Summus Pontifex habet ordinariā jurisdictionem in universam Ecclesiam. II. Legati à Latere, & Nuncii Apostolici, intra terminos suæ nuntiaturæ. III. Episcopus & ejus Vicarius in suam Diœcesim. IV. Parochus in suam Parochiam. V. Superiores Regulares in suos subditos; *vg.* Minister Generalis in totum Ordinem, Provincialis in suam Provinciam,

Gvar-

Gvardianus in suos Domesticos, &c.

682. *Sacerdos non habens potestatem jurisdictionis, an validè absolvit?* ℞. Extra articulum mortis invalidè absolvit; unde, ut Sacerdos validê absolvat, requiritur jurisdictio ordinaria, vel delegata. *Probatur: Tum quia, ita Concil: Trident: Sess: 14. cap: 7. de Pœnit: Sacram:. Tum quia* Sacramentalis absolutio est sententia, & actus judicialis; jam verò actus judicialis ex parte Judicis essentialiter supponit jurisdictionem in subditos; sententia enim lata in non subditos nulla est, & nullum habet valorem, Ergo &c.

683. *Jurisdictio quando amittitur?* ℞. Amittitur & expirat: I. Quando quis privatur officiô, cui jurisdictio fuit per se annexa; *vg.* quando Parochus resignat beneficium Parochiale. II. Quando quis excommunicatur, vel suspenditur ab officio, nisi excommunicatio, vel suspensio sit occulta; tunc enim in communi errore, valet absolutio. III. Quando peccatum aliquod priùs non reservatum, à Superiore reservatur. *Ita Regin: l.* 1. & alii.

684. *An omnis excommunicatus amittit jurisdictionem?* ℞. Non omnis, sed tantùm excommunicatus non toleratus. Excōmunicatus verò toleratus validè absolvit, quamvis illicitè, nisi requisitus & contritus. *Ibidem.*

SECTIO IV.

De scientia Confessarii.

685. *Quam scientiam debet habere Confessarius?*

rius? ℟. Debet habere ſcientiam competentem, ſaltem mediocrem. *Ratio*; quia Confeſſarius cùm ſit *Judex*, *Doctor*, & *Medicus*, debet ſcire, quæ ſpectant ad ſuum officium, & ne ſe ipſum, & ſuos pœnitentes exponat periculo errandi in materia gravi, & concernente ſalutem animarum; aliàs verificaretur illud: *Matth*: 15. *cœcus, ſi cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Notanda ſunt hæc:*

I. Scientia competens poteſt conſiderari 2plex: I. *Scientia eminens*, ſi quis optimè ſciat jus Canonicum, Theologiam moralem, varios Caſiſtas, & variorum difficilium caſuum conſcientiæ reſolutionem, & circa eosdem ratiocinationem. Hæc ſcientia quamvis ſit utiliſſima, abſolutè tamen non eſt neceſſaria, aliàs Confeſſarii pauci reperirentur. II. *Scientia mediocris*; ſi quis ſcit reſolvere faciliores caſus, tum ex Theologia morali, tum ex Caſiſtis; nimirum ut integram ſummam caſuum, ſaltem unius Doctoris Catholici, & claſſici, diligenter ſciat, intelligat, & frequenter legat.

686. *Confeſſarius quid debet ſcire in particulari?* ℟. Debet ſcire ſequentia: I. Debet diſcernere inter lepram & lepram; id eſt: debet ſcire, quæ ſunt peccata mortalia ex genere ſuo, & quæ venialia ex genere ſuo? II. Debet ſcire circumſtantias peccatorum tam aggravantes tantùm, quàm ſpeciem mutantes. III. Debet ſcire cenſuras, & irregularitates, communiores pro Sacerdotibus, & peccata illa, quibûs incurritur cenſura aliqua, vel

irre-



irregularitas. IV. Debet ſcire, quae occaſio proxima peccati? V. Debet ſcire peccata illa, quae habent annexam reſtitutionem famae, vel bonorum temporalium. VI. Debet ſcire caſus reſervatos, tum ſummo Pontifici, tum Epiſcopis, tum caſus reſervatos Religionis. VII. Debet ſcire formam, materiam remotam, & proximam Sacramenti Pœnitentiae. VIII. Debet ſcire virtutes tum Theologicas, tum morales. *Interim Confeſſarius ante omnia debet ſcire, actus fidei, ſpei, charitatis, & contritionis; quomodo ſunt eliciendi ex propriis motivis? ut tandem inſtruat ſuos pœnitentes ad illos eliciendos.* IX. debet habere notitiam tum de gratia habituali ſanctificante, tum de gratiis actualibus, de voto &c. X. Debet ſcire caſus faciliores & crebriores. XI. Debet ſcire, an pœnitens ſit rectè diſpoſitus? XII. Debet ſcire modum adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiae, validè, licitè, & fructuosè. XIII. In difficilioribus ſufficit, ſi ſciat, dubitare, ita, ut, ubi contingat periculum errandi, conſulat libros, & viros doctiores; *difficiliores autem materiae contingunt circa impedimēta matrimonii, circa reſtitutionē, cenſuras reſervatas &c.* XIV. debet ſcire, quàm ſalutarem pœnitentiam aſſignare, quae remedia congruè adhibere? &c.

Univerſaliter loquendo; Confeſſarius debet ſcire, *& quae ſpectant ad ipſum Confeſſarium, & quae ſpectant ad pœnitentem, & quae ſpectant ad peccata.*

687. *Confeſſarius non habens competentem*

sciētiā, quomodo peccat excipiendo confessiones? ℞. Peccat mortaliter, si notabiliter in scientia sit deficiens. *Ita Felix Potestas, Buzembau, & alii. Dicitur: si notabiliter sit deficiens*; quia (*ut dictum est*) sufficit, si habeat scientiam mediocrem; ita, ut saltem sciat prudenter de omnibus dubitare; tandem consulere libros, vel doctiores.

Nota tamen: Minor scientia requiritur pro rudibus, pro rusticis, & pro devotis hominibus; *major autem*, pro civibus, Judicibus, Juristis *&c.*

688. *Confessarii monialium qualem debent habere scientiam?* ℞. Debent necessariò habere scientiam, & morum probitatem, suo officio proportionatam; nimirum præter superiùs enumerata debent scire non pauca alia: I. Debent scire regulam, & præcepta regulæ earundem monialium. II. Debent scire constitutiones ejusdem Religionis, in omni materia & casu. III. Debent scire obligationem monialium ad servandam clausuram, & pœnas de violatione clausuræ. IV. Debent scire casus reservatos & censuras pro monialibus. V. Debent scire remedia contra scrupulos, & motiva ad svavitatem religionis *&c.* VI. Debent scire etiam suas obligationes; inter alias, noster Felix Potestas enumerat has: *Confessarius monialium debet esse indifferens; non debet recipere munera & donaria à particularibus; nunquam debet loqui, nisi quæ conducunt ad confessionem & salutarem animæ instructionem; non debet esse asper & indiscretus in zelo circa morum reformationem; paulatim,*

tim, & ex parte reformando mores, non verò ex toto, ne sic totum perdat; ne audeat ingredi, nisi in illis casibus, in quibus conceditur à Sede Apostolica; scilicet ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, & ad commendandam animam agonizantium, sive sæcularium, sive monialium; alii verò casus omnes excluduntur. Plura apud Authores alios.

SECTIO V.

De Probitate Confessarii.

689. *Quotuplex est Probitas vitæ?* ℟. Est aplex: Moralis & legalis.

Probitas, seu bonitas moralis est tunc: quando Sacerdos est in statu gratiæ, nullum habens peccatum mortale.

Probitas legalis, tunc est: quando Sacerdos nullum habet Canonicum impedimentum; *v.g.* Excommunicationis, suspensionis, irregularitatis *&c.*

690. *Confessarius qualem debet habere probitatem vitæ?* ℟. Debet habere utramq; moralem & legalem; hoc est: debet esse in statu gratiæ sine peccato mortali; & ne sit irregularis excommunicatus *&c. Deinde*, ne suô malô exemplô scandalizet, deterreat, aut impediat pœnitentes à salutari pœnitentia.

691. *Confessarius, ut fructuosè & exemplariter excipiat confessiones, qualem adhuc debet habere probitatem? seu quales dotes, & virtutes?*



tes? ℟. Inter alias dotes, & virtutes debet habere has: I. *Confessarius debet habere studium orationis*; id est: præmissâ intentione absolvendi; saltem brevem faciat orationem, offerendo hoc pium munus ad solius Dei gloriam. II. *Debet habere charitatem*, ut cum pœnitentibus tanquam Pater cum Filiis se gerat. III. *Debet habere zelum animarum, Sangvine Christi redemptarum*; aliàs sine zelo erit negligens, & langvidus *&c*. IV. *Debet habere fortitudinem*; tolerando propter amorem Dei omnes difficultates & molestias. V. *Debet habere mansvetudinem, & spiritualem affectum erga pœnitentes*; ut sic fideliter sua peccata confiteantur. VI. *Debet habere discretionem, & prudentiam*, secundùm regulas prudentiæ. VII. *Debet habere patientiam*, præcipuè, ut pœnitens sua peccata exactè explicet. VIII. *Debet habere fidelitatem in servando sigillo confessionis*, & nullatenus revelando. *Unô verbô Confessarius debet esse bonus*, & *sibi*, ut meritum habeat coram Domino Deo; & *pœnitenti*; ut convertat ipsum; *secundùm quosdam; dotes exprimuntur sic:*

Confessor dulcis, affabilis, atq; svavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atq; benignus.

692. *Confessarius in peccato mortali administrans Sacramentum pœnitentiæ, an validè absolvit*? ℟. Validè absolvit, sed illicitè; id est: peccat non præmissâ confessione, aut saltem contritione. *Est communis.*

693. *Confessarius existens in peccato mortali, an*



an tot peccata committit, quot pœnitentes absolvit? ℟. Probabile docetur, quòd tot committat peccata, quot absolvit. *Ita Lacroix, Bonacina, Oviedo &c. Ratio; Tum quia,* administratio Sacramenti respectu omnium, & singulorum pœnitentium, est completa, neq; una subordinatur alteri. *Tum quia,* singulis Sacramentis fit gravis irreverentia, & injuria; *Sancta enim sanctè tractanda, Ergo.*

SECTIO VI.

De Prudentia Confessarii.

694. *Qualis prudentia requiritur in Confessario?* ℟. Requiritur saltem mediocris. *Ratio;* quia Confessarius, simul est *Judex, Medicus, & Doctor;* quæ munera nullatenus possunt exerceri sine prudentia. *Quid est prudentia v. 209.*

695. *Prudentia Confessarii, ad quas personas debet extendi?* ℟. Debet extendi ad tres personas: I. *Ad propriam personam;* ut ipse Confessarius validè, licitè, & fructuosè administret hoc Sacramentum; *juxta superiùs dicta; præsertim, n. 691.* II. *Prudentia extenditur circa Adstantes personas;* scilicet: ut æqualiter habeat se circa pauperes, & divites, (*nisi sit specialis ratio vg. infirmitatis,*) ne clamorosè loquatur; ne motus impatientes faciat &c. III. *Prudentia extendi debet, circa personam pœnitentis,* ut omnia hæc peragat, quæ spectant ad salutem animæ, & conversionem ejus; quæ spectant ad integritatem confessionis; quæ

ad



ad imponendam salutarem pœnitentiam; quæ ad dandum consilium; ad faciendum examen; *&c.*

696. *Confessarius an tenetur examinare pœnitentem?* ℞. Tenetur aliquando? *vide de hoc n.* 737.

697. *Confessarius si necesse fuerit, de quibus pœnitēte debet interrogare?* ℞. Tenetur examinare de specie, numero, de circumstantiis peccatorum, de causis, de habitu, & de occasionibus proximis; quoties rationabiliter præsumit ista sufficienter non declarari, aut de hoc dubitat. *Deinde:* Si pœnitens sit rudis, & simplex, debet interrogare insuper; an sciat mysteria fidei, præcepta Dei, Ecclesiæ, & status sui obligationes? *vide de hoc n.* 757.

698. *Quæ sunt regulæ prudentiæ, ut Confessarius dignè fungatur suô officiô?* ℞. Sunt regulæ ferè innumeræ, & variæ pro diversitate personarum & circumstantiarum. *Interim* aliquas regulas observandas subjungo:

I. Non omnes pœnitentes eôdem modô sunt interrogandi, sed modô cuiq; accommodatô; unde cæterìs partibûs magis sunt examinandi dissolutæ vitæ, quàm timoratæ; magis, qui raro confitentur, quàm qui frequentiùs *&c.*

II. Confessarius de facili, & sine causa non interrumpat confessionem. Nondum finitâ confessione nunquàm reprehendat, & arguat, sed dulcibûs verbìs ad confitendum alliciat; confessione autem completâ, pro opportunitate cum affectu & amore, salutarem dabit admonitionem.

III.



III. Caveat, ne ſimplices & juvenes interroget de peccatis fortè illis ignotis, ne ſic eos doceat, & inducat ad peccandum.

IV. Cautiſſimè procedat in materia caſtitatis, ne pœnitens ſcandalizetur, & mala, quæ ignorat, doceatur, cum periculo poſtea illa perpetrandi. *Vide de hoc n.* 738.

V. Si pœnitens ſuperflua narret, & impertinentia; diſcretè, & peritè divertat ſermonem; *vg.* dicendo: *jam intellexi &c.*

VI. Si pœnitens recordetur; debet exprimere certum & determinatum numerum peccatorum; ſi autem non recordetur, ſufficit exprimere numerum probabilem, aut veriſimilem, addendo particulas: *plùs, vel minùs.*

VII. Ut diſcernat, & bene conſideret, an ſit danda abſolutio, vel neganda, vel differenda; *quæ dilatio præcipuè ſit in peccato iræ, in peccato luxuriæ, & in materia reſtitutionis, &c.*

VIII. Accedente pœnitente Confeſſarius, non conſideret vultum ejus, ſed illicò datâ benedictione, faciem ſuam tegat, ut ſic libentiùs confiteatur &c.

SECTIO VII.

De Sigillo confeſſionis Sacramentalis.

699. *Quid eſt Sigillum confeſſionis Sacramentalis?* ℞. Eſt obligatio ſtrictiſſima in omni caſu obligans, ſervandi ſecretum circa ea, quæ ſunt cognita ex Sacramentali confeſſione.

700. *Confeſſarius ad ſervandum ſigillum*

con-

confessionis, quô jure obligatur? ℟. Obligatur 3plici jure: *Jure naturali, jure Divinô, & jure Ecclesiasticô; est communis DD.*

701. *Confessarius an potest consilium petere de aliquo peccato confessi?* ℟. Potest licitis mediis; si fuerit necessitas; id est: Confessarius quandocunq; petit consilium ab alio Sacerdote, debet petere cautè, omittendo circumstantias loci, temporis, personae; ita ut deveniri non possit in notitiam poenitentis. Unde si sit periculum revelationis personae, non est licitum consilium petere.

702. *Quae cadunt sub sigillum confessionis?* ℟. Sub sigillum confessionis omnia cadunt illa, quae in confessione sunt expressa, & detecta. I. Nulla possunt peccata mortalia & venialia revelari, sive illa sint occulta, sive publica. II. Nullae possunt revelari circumstantiae peccatorum. III. Non debet revelari poenitentia injuncta. IV. Non debet revelari negatio absolutionis. V. Non debent revelari tentationes, scrupula, imperfectiones, defectus naturales. VI. Non debent revelari peccata complicis. VII. Non debet revelari persona, quae est objectum, vel causa, vel occasio peccati &c.

703. *Ex qua confessione contrahitur obligatio sigilli?* ℟. contrahitur ex omni & sola confessione Sacramentali; sive illa confessio fiat Sacerdoti approbato, sive non approbato; dum poenitens bonâ fide putat esse Confessarium legitimum.

704. *Qui contrahunt obligationem sigilli?* ℟. I. Contrahit Confessarius non tantùm verus, sed etiam



tiam fictus, & per errorem legitimus existimatus. II. Obligantur omnes illi, qui peccatum pœnitentis, (*dum confitetur*) audiêrunt sive culpabiliter, sive inculpabiliter, sive immediatè, sive mediatè, sive licitè, sive illicitè. *Ratio*; quia talis revelatio redderet confessionem onerosam, odiosam, & à confessione homines deterreret.

705. *Sigillum confessionis quotupliciter potest violari?* ℟. Potest violari 2pliciter: Directè & indirectè.

Directè, tunc violatur; quando peccata directìs verbìs revelantur.

Indirectè, tunc violatur; quando ex aliquo dicto, vel facto Confessarii, potest quis cognoscere, vel suspicari peccatum, aut defectum pœnitentis. *Cōsule de hoc Casistas.*

706. *Confessarius, quid deberet respondere si interrogaretur de cognitis in confessione?* ℟. Deberet respondere: *nescio*; etiam cum juramento licitum est negare; neq; esset hôc casu æquivocatio, vel mendacium. *Rationem dat Delugo*; quia prædicta responsio habet sensum hunc: *Nil scio scientiâ tibi communicabili, vel nescio peccatum, ut homo, & in his circumstantiis; scilicet; quòd subjiciatur legibus humanæ societatis*; scientia enim orta ex confessione non est ordinis naturalis, quam habet quis ut homo, & quæ pertinent ad usum humanæ societatis.

707. *Confessarius de licentia & consensu pœnitentis, an potest licitè uti notitiâ confessionis?* ℟.

℟. Communior sententia docet, posse; *est contra quosdam. Interim noster Matthæucci* ad talem casum requirit conditiones sequentes:

I. Ut sit pœnitentis licentia expressa, & non sufficit præsumpta, vel tacita; *Ratio*; quia talis præsumptio est odiosa, & periculosa; multa enim sequerentur absurda.

II. Ut licentia detur à pœnitente liberè, & non còáctè.

III. Ut Confessarius in nullo excedat limites consensûs; unde Confessarius graviter peccaret contra sigillum, si plura peccata, vel pluribus aperiret, quàm pœnitens expressè concessit.

IV. Propter vitandum scandalum; *hoc peccatum dicat pœnitens extra confessionem*; ut det consensum in scriptis, & Confessarius habitâ licentiâ nunquam dicat: *audivi hoc in confessione*; aliàs talis revelatio esset odiosa, & esset peccaminosa mortaliter.

V. Ut talis revelatio cedat in evidens, & notabile bonum pœnitentis.

VI. Ut Confessarius non acceptet hanc licentiam; neq; pœnitens illam concedat, nisi sit justa, & rationabilis causa.

708. *Sacerdos violans sigillum quot peccata committit?* ℟. Tria: I. *Committit peccatum detractionis*, infamando proximum. II. *Committit peccatum infidelitatis*, non servando secretum. III. *Cõmittit sacrilegium*; faciendo contra reverentiam, & significationem hujus Sacramenti.

CA-

CAPUT VI.

De Casibus reservatis.

709. *An detur potestas in Ecclesia reservandi casus?* ℞. Certum est, quòd in Ecclesia detur potestas reservandi quædam peccata, à quibus inferiores Confessarii non possunt absolvere.

710. *Quid est casuum, seu peccatorum reservatio?* ℞. Est subtractio jurisdictionis in Confessario, ne pœnitentes absolvat à certis peccatis.

711. *Quid est casus reservatus?* ℞. Est peccatum mortale, cujus absolutio nulli Sacerdoti permittitur etiam approbato, sed manet penes superiorem, vel penes delegatum ab eodem.

712. *Quæ sunt requisita, ut peccatum reservetur?* ℞. Ordinariè & ex praxi Ecclesiæ sunt requisita tria: I. Ut peccatum sit grave & mortale. II. Ut peccatum sit externum; quia peccata interna, quamvis possent reservari; ordinariè tamen de facto sola peccata externa reservantur; ex eo, quòd hæc reservatio sufficiat ad bonum regimen animarum. III. Ut peccatum sit consummatum, & non sufficit tantùm attentatum, nisi aliud in lege exprimatur. *Ratio*; quia reservatio, cum sit quid odiosum & onerosum, est strictæ interpretationis; *Unde reservatô homicidiô, non reservatur voluntas interna occidendi hominem, nisi sequatur actualis mors.*

713. *Qui sunt casus, & excommunicationes Papæ reservatæ in Bulla Cœnæ?* ℞. Incidunt in casus



ſus Bullæ Cœnæ, & in excommunicationem (*ut conſtat ex Bullario tom:* 4. & 6.) ſequentes:

I. Omnes hæretici, ſchiſmatici, eorumq; fautores; libros hæreticos legentes, tenentes, vel imprimentes. *Porro:* Hæreſis Papæ eſt reſervata, formalis externa. *V. n.* 742.

II. Appellantes à Papa ad futurum Concilium, eorumq; fautores.

III. Pyratæ, ſeu latrones marini in mari Pontificio, præcipuè à monte argentario uſq; ad Tarracinam, eorumq; receptores & fautores.

IV. Surripientes bona naufragantium Chriſtianorum cujuscunq generis, etiam inventa in littore cujuscunq; maris.

V. Imponentes nova pedagia & gabellas, vel eas augentes; exceptîs caſibûs à jure, ſeu ex ſpeciali licentia permiſsîs.

VI. Falſificantes literas Apoſtolicas, vel falſò fabricantes.

VII. Deferentes arma, & alia uſui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios inimicos Chriſtiani nominis, & ad ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ pertinentia, iisdem in damnum Chriſtianorum nunciantes.

VIII. Impedientes eos, qui victualia, & alia neceſſaria, Romam convehunt.

IX. Ad Sedem Apoſtolicam venientes, vel ab ea recedentes, ſuà, vel aliorum operâ lædentes, & ſine jurisdictione vexantes.

X. Romipetas, ſeu peregrinos, etiam in urbe morantes, vel abeuntes, lædentes, hoc eſt: vulne-

ran-



rantes, mutilantes, deprædantes, detinentes, & capientes.

XI. Interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, vel hostiliter insequentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, vel Nuncios Apostolicos.

XII. Ad Romanam curiam pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios lædentes, percutientes, occidentes, spoliantes, eorumq; fautores.

XIII. Impedientes, ne Literæ Apostolicæ dentur executioni. *Item* impedientes, ne aliqui pro talibus literis ad Sedem Apostolicam possint recurrere.

XIV. Usurpantes judicium competens Ecclesiasticis Judicibus.

XV. Judices sæculares, qui præsumunt Ecclesiasticas personas contra juris Canonici dispositionem, ad suum Tribunal trahere, vel indirectè procurant, vel statuta edunt restringentia libertatem, aut sublativa ejusdem.

XVI. Impedientes, ne Judices Ecclesiastici suô munere possint fungi. *Item*, qui eludunt judicium Ecclesiasticum, & recurrunt ad sæculares; omnium horum auxiliantes, consulentes, patrocinantes, faventes.

XVII. Usurpantes reditus Ecclesiasticos.

XVIII. Imponentes collectas, decimas, *&c.* Personis Ecclesiasticis, Prælatis, Monasteriis *&c.* sine expressa Pontificis licentia.

XIX. Judices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesia-



sticas Personas illas capiẽdo, processando, seu sentẽtias contra illos proferendo, vel vexando sine speciali licentia Sedis Apostolicæ.

XX. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes.

714. *Qui sunt casus, & excommunicationes Papæ reservatæ, extra Bullam Cœnæ?* R. (*ex Buzembau & Wigandt*,) in partibus nostris usitatiores, sunt sequentes:

I. Percussores Clericorum, si percussio sit enormis, *juxta Canon: Si quis svadente, &c.*

II. Duellantes, & cooperantes. *V.* 752.

III. Clerici communicantes cum excommunicatis à Papa, & liberè admittentes eos ad Divina Officia; & omnes, qui communicant in crimine habente excommunicationem annexam.

IV. Omnes illi, qui obtinuerunt absolutionem ab excommunicatione Papæ reservata, sub conditione de satisfaciendo parti læsæ; tamen conditionem non implent; hi enim rursus incurrunt novam excommunicationem.

V. Clerici inducentes quamcunq; personam ad faciendum votum, vel juramenta, ac promissionem; quatenus talis persona sibi in eorum Ecclesia sepulturam eligat, & jam electam aliò transferat.

VI. Recipientes, & dantes, cum pacto quocunq; rem ad hoc; ut religionem quis ingrediatur.

VII. Mendicantes transseuntes ad alium Ordinem, absq; speciali Papæ licentia, præter Carthusianum.

VIII.

VIII. Omnes illi, qui temerariè in concionibus, vel in aliis publicis actionibus, ut lectionibus, vel conclusionibus; assererent Beatam Virginem conceptam in Originali.

IX. Dantes vel promittentes in curia Romana aliqua donativa, ut ea, quæ petunt, faciliùs assequantur.

X. Omnes viri intrantes Monasteria monialiū, & è contra omnes mulieres intrantes Monasteria Religiosorum.

XI. Omnes illi, qui malitiosè componunt, retinent, vel imprimunt libros infames contra Ordines S. Dominici, & Francisci.

XII. Furantes libros, aut quaterniones ex bibliothecis minorum & Prædicatorum.

XIII. Omnes Regulares administrantes Viaticum, Extremam Unctionem; solemnizantes matrimonium sine privilegio, vel speciali licentia Parochi.

XIV. Simoniaci reales circa Ordinem, vel beneficium.

XV. Committentes Simoniam confidentialem.

XVI. Incendiarii publicè pro excommunicatis denuntiati.

XVII. Sepelientes hæreticos in loco sacro.

XVIII. Sacrilegi, qui non tantùm infringunt Ecclesias, vel hospitalia, sed etiam bonis spoliant.

XIX. Moniales professæ sine gravi causa egredientes è Monasterio.

XX. Impedientes executionem literarum sacræ Pœnitentiariæ.



XXI. Legentes, vel retinentes libros prohibitos; (*ubi non est sermo de libris hæreticis.*)

XXII. Violatores immunitatis Ecclesiasticæ circa confugientes ad Ecclesiam.

XXIII. Vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt.

XXIV. Violantes interdictum Papale.

XXV. Docentes posse fieri confessionem in absentia.

XXVI. Concionatores, qui S. Scripturæ sensum ab interpretatione Doctorum alienum, circa tempus antichristi, & extremi judicii, & alia similia revelata, prædicant.

XXVII. Parochi non implentes juramentum factum de residentia.

715. *Excommunicationes Papæ non reservatæ, usitatiores sunt sequentes, (ex Wigandt, in Compendio c. 11.*

I. Religiosi habitum suum temerè, & longô tempore dimittentes.

II. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum monialiabus.

III. Cogentes fæminas ad matrimonium, vel monasterium.

IV. Domini sæculares prohibentes suis subditis, ne Ecclesiasticis sua bona vendant, aut ab eis emant, aut ne alia officia præstent.

V. Procurantes abortum fœtûs animati.

VI. Confessarii monialium, si foveant discordias in electione.

VII.



VII. Negligentes administrare justitiam Ecclesiasticis.

VIII. Religiosi instituentes novum ordinem; audientes leges, vel medicinam extra claustra; tenentes arma sine licentia intra claustra.

IX. Imprimentes, mandantes imprimi, vendentes, apud se retinentes, evulgantes libros de rebus sacris, sine nomine authoris, & approbatione Ordinarii.

X. Raptores mulierum, juvantes, faventes.

XI. Domini temporales, concedentes in terris suis locum, pro duello.

XII. Præsumentes absolvere à casibus Bullæ Cœnæ.

716. *Casus reservati Episcopo Vilnensi in Synodo Anno D.* 1613. I. Hæresis. II. Lectio librorum hæreticorum, qui ex professo tractant de dogmatibus fidei. III. Perjurium publicum in judiciis. IV. Falsificatio sigillorum, & cirographorum. V. Falsum testimonium in judiciis scriptô, vel voce dantium. VI. Sodomia. VII. Bestialitas. VIII. Incestus cum consangvinea, vel affine in primo gradu. IX. Violatio Virginum. X. Raptus cujuscunq; mulieris, multô magis alienæ uxoris. XI. Homicidium deliberatè voluntarium, & ad illud operam & consilium navantes (*intellige actu exteriore factum*) XII. Percussores Parentum. XIII. Incendiarii, si incendium sit factum ante denuntiationem, malô animô, & ex proposito factum, & ad id dantes consilium, vel auxilium. XIV. Peccatum Cleri-

ricorum, piis legatis non satisfacientium. XV. Ad beneficia curata ordinariè non residentium sine facultate Episcopi.

Additi casus reservati in Synodo Annô 1669. I. Crimen magiæ, veneficiorum, incantantium, divortia inter conjuges procurantium, foventium. II. Suppellectilem post intestatos Sacerdotes rapientium, aut viliora pro melioribus supponentium.

717. *Qui sunt casus reservati Ordinis ex Generalibus constitutionibus?* ℞. Vide de illis statuta Provincialia *cap:* 7. *fol:* 71.

Resolutiones quædam de Casibus reservatis Bullæ Cœnæ.

718. *Quare dicuntur casus reservati in Bulla Cœnæ?* ℞. *Ex eo dicuntur: in Bulla Cœnæ;* quia quolibet Annô, præsente Papâ feriâ 5tâ in Cœna Domini hæc Bulla, seu decretum, solet legi, renovari, & confirmari à Papa. *Proinde; qui casus reservati expressi sunt in hac Bulla, dicuntur: casus Bullæ Cœnæ. Qui verò casus reservati sunt in aliis Bullis Pontificiis, dicuntur: casus extra Bullam Cœnæ.*

719. *Quæ sunt observanda de casibus Bullæ Cœnæ?* ℞. Sequentia: I. Casus Bullæ Cœnæ, habent strictissimam reservationem, & habent sibi annexam excommunicationem Papæ reservatam, cum derogatione privilegiorum, quibuscunq; concessorũ. Unde præfatos casus, si qui memoriter non possunt scire, omnes Confessarii debent apud se habere, ut excommunicationes in hac Bulla contentas cognoscant,

ſcant, & diſtingvant, ne errent, abſolvendo illos, ad quos jurisdictio eorum non extenditur. II. Sacerdotes à caſibus Bullæ Cœnæ abſolvere præſumentes, extra periculum mortis; incurrunt excommunicationem, ipsô factô, licèt non reſervatam, (*ut conſtat n. 715. XII.* & peccant mortaliter. *Ratio*; quia in re graviſſima exponunt ſe periculo adminiſtrandi invalidè Sacramentum pœnitentiæ; & faciunt contra præceptum expreſſum ſummi Pontificis. Ab hac tamen excommunicatione poſſunt abſolvi ab Ordinario. *Ita Wigandt.*

720: *Quis poteſt abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ?* ℟. Ordinariè abſolvit Papa; ſi tamen hi caſus ſint occulti, & nondum ad forum contentioſum deducti, etiam abſolvit Epiſcopus; (*juxta Trident: Seſſ: 24. de Refor: cap: 6.*) vel per ſe ipſum, vel per ſuum vicarium.

721. *An poteſt Epiſcopus in aliquo caſu abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ publicis?* ℟. Poteſt, ſi adſint impedimenta, propter quæ pœnitens perſonaliter neq; poteſt adire Nuncium, neq; Sedem Apoſtolicam. *Ratio*; quia Eccleſia utpote Mater, cenſetur hoc concedere. *Wigandt*, & *alii.*

722. *Quæ ſunt illa impedimenta?* ℟. Sunt ſequentia: I. Si ſit periculum mortis in itinere. II. Si ſit longa infirmitas etiam non periculoſa. III. Si ſit paupertas, ut ſi cogeretur mendicare, qui aliàs non ſolebat. IV. Ætas ſenilis, vel juvenilis. V. Sexûs fragilitas; ut ſi pœnitens ſit fæmina. VI. Si pœnitens non ſit ſui juris; *ut filius reſpectu Patris,*

ſer-

servus respectu Domini. VII. Cura animarum. VIII. Debilitas, ob quam molestiæ itineris ferri non possunt. IX. Debilitas membrorum, *vg.* si sit cœcus, claudus *&c.* X. Quodvis impedimentum, quod arbitriô prudentis judicatur legitimum. *Wigandt in Compend: c. 11. de Pœnit:*

723. *Regulares, an habent potestatem absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ?* ℟. Superiores Regulares, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem (*uti sunt Provinciales, Generales*) eandem habent facultatem in suos subditos, quam habent Episcopi in suos subditos, (*ut immediatè dictum.*) *Noster tamen Felix Potestas addit*, quòd Prælati Regulares habentes potestatem quasi Episcopalem, licèt possint absolvere ab aliis casibus reservatis Papæ; tamen non possunt absolvere à casibus septem; qui casus enumerantur sequentes: *Hæretici relapsi, schismatici, falsificatores literarum Apostolicarum, deferentes prohibita ad partes infidelium, bigami, homicidæ voluntarii, & conspiratores in Romanum Pontificem. Idem, statuta Prov: fol: 72. n. 5.*

724. *Quid observandum iis, qui absolvunt à casibus Papalibus?* ℟. Absolutio semper debet fieri satisfactâ parte læsâ; vel saltem de hoc præstitâ sufficienti cautione; non quæ sufficit ad libitum læsi, sed ad judicium prudentis Confessarii. *Wigandt ibidem:*

Reliqua de casibus reservatis.

725. *Casus reservati quotuplices sunt?* ℟. Sunt

2plices:



2plices: I. Casus reservati, *qui non habent sibi annexam excommunicationem*. II. Casus reservati, *qui habent sibi annexam excommunicationem*, ut constat ex dictis, præcipuè de casibus Papalibus. *In simili excommunicatio, alia est reservata, alia non reservata.*

726. *In quem finem casus, seu peccata reserventur?* ℟. Ob hos fines: I. Ut per talem reservationem fideles meliùs dirigantur ad emendationem vitæ, & magis abhorreant committere illa peccata, quorum difficilem vident remissionem. II. Quia reservatio spectat ad bonum regimen, & ad bonum publicum; ad coercenda peccata atrocia, & graviora. *Ut dicit Trid: Sess: 14. c. 7.*

727. *Qui habent potestatem reservandi casus?* ℟. Casus reservare possunt omnes illi, qui habent ordinariam jurisdictionem per se loquendo. *Unde; summus Pontifex*, potest casus reservare pro tota Ecclesia, *Episcopus*, pro tota Diœcesi, *Minister Generalis*, pro toto Ordine *&c.*

Dicitur: per se loquendo; quia in religionibus non est licitum Gvardianis, & aliis Superioribus localibus casus reservare, sed solis Superioribus habentibus authoritatem quasi Episcopalem, scilicet: *Ministris Generalibus, & Provincialibus*, cum matura discussione, & consensu capituli generalis, vel Provincialis; ne nimis multiplicentur casus reservati, & sic vilipendantur.

728. *Sacerdos, qui habet necessitatem celebrandi Missam, sed caret copiâ Sacerdotis approbati*



ti pro reservatis, quid debet facere? ℟. Debet confiteri inferiori Sacerdoti, ut absolvatur directè à non reservatis; indirectè verò, & consecutivè à reservatis. Hoc tamen casu, habet onus, & obligationem postea adeundi superiorem, ut directè ab eodem absolvatur à reservatis. *Ita Bonac: tom:* 1. *fol:* 278. *n.* 5.

729. Pœnitens, qui per oblivionem, peccatum aliquod reservatum, aut censuram prætermisit; cognitô peccatô reservatô, aut censurâ quid debet facere? ℟. Tenetur adire superiorem; non tenetur tamen superiori repetere omnia peccata. *Ibidem fol:* 279. *n.* 7.

730. *Regulares, an subjacent casibus, ab Episcopo reservatis?* ℟. Regulares non exempti subjacent; Exempti verò non subjacent; quia quò ad hoc non subsunt jurisdictioni Episcopi. *Communis DD.*

731. *Superior auditîs solîs casibûs reservatîs, an potest absolvere, remittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reservatis?* ℟. Non potest. *Ita Bonacina, Buzemb:* & *alii commun: Ratio*; quia confessio omnium peccatorum mortalium, (*quæ pœnitens potest hîc & nunc confiteri*) est præcepta jure Divinô ad absolutionem; *ut constat ex Concilio Trident: Sess.* 14. *cap:* 5. Ergo, ut dimidietur confessio, non est in potestate superioris. *Unde si Superior non valeat absolutè audire omnia peccata, potest auditîs solîs reservatîs remittere pœnitentem ad inferiorem, ut*

ab eodem absolvatur ab omnibus peccatis tam reservatis, quàm non reservatis; Superior autē potest, si velit taxare pœnitentiam pro peccatis, & præscribere remedia adhibenda; quô casu non absolveret propriè, sed tantùm tolleret reservationem.

CAPUT VII.

De Remediis contra relapsum in peccata.

732. Remedia non relabendi in peccata commissa possunt omnia reduci: *ad Orationem, & vigilantiam*; secundùm illa duo monita Christi Domini: *Matth: 26. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.*

Remedia spectātia ad orationē.

I. Frequenter confiteri, & Eucharistiam sumere cum magna humilitate & devotione.

II. Quotidie humiliter, & ferventer orare ad Deum; implorando gratiam & auxilium ad veram pœnitentiam, & emendationem vitæ.

III. Ferventes! saltem breves orationes facere ad passionem Christi Domini, ad Beatissimam Virginem MARIAM, & alios Sanctos.

IV. Frequenter habere memoriam præsentiæ DEI, cogitando Deum esse ubiq; præsentem, vindicem peccatorum, & remuneratorem bonorum operum.

V. Examina conscientiæ facere *vg.* mane facere propositū fugiendi malā occasionē, & vitandi tale pec-

catum,

catum,de vespere facere examen, an satisfecerit suo proposito.

VI. Libros spirituales legere, præsertim Vitas Sanctorum, de eorum laboribus, mortificationibus, martyriis &c.

VII. Obstinati peccatores recogitent brevitatem vitæ, & deliciarum ejus; voluptas momentanea, pœna verò per totam æternitatem, non desitura in inferno.

VIII. Recogitent crudelitatem in se ipsos; quòd amittant Deum, & æternam felicitatem; quòd exponant se æternis suppliciis; ubi æternitas sine fine, mors sine vita, infelicitas sine ullo regressu ex inferno.

Remedia spectantia ad vigilantiam.

I. Per *vigilantiam*, intelligitur, occasionum fuga; secundùm illud: Eccl: 3. *qui amat periculum, in illo peribit.* Occasiones autem possunt esse hæ: *conversationes suspectæ, consortia mulierum, curiositas oculorum, impudica colloquia &c.*

II. Intelligitur memoria novissimorum; secundùm illud: *Eccl: 7. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

III. Consideranda est gravitas peccatorum, quanta damna facit animæ.

IV. Vitandum est otium, quod est causa multorum

rum peccatorum; secundùm illud: *Otia dant vitia.*

V. Si contingat aliqua tentatio, in ipso principio resistendum est illi, consensus non præbeatur, sed potiùs fiat protestatio cum S. Casimiro: *malo mori, quàm fædari.*

CAPUT VIII.

De Scrupulis, & remediis contra illos.

733. *Quid est scrupulus?* ℟. Est formido de peccato, ubi revera non est peccatum. *E contra conscientia laxa*, est tunc, quando quis ex motivo levi & insufficienti, judicat aliquid esse bonum & licitum, quod reverà est malum.

734. *Scrupuli, ex quibus causis proveniunt?* ℟. Ex variis causis. I. Ex mala constitutione hominis; scilicet: ex natura timida, frigida, melancholica &c. II. Ex infirmitate, præsertim ex dolore capitis. III. Ex diuturna tristitia, per quam acquiritur melancholia, & perturbantur phantasmata. IV. Aliquando fiunt scrupuli ex permissione Divina, ut homo hunc cruciatum patiatur ob pœnam peccati præsertim superbiæ, contemptûs aliorum; aliquando etiam scrupuli prosunt ad majus meritum, ut constat ex vita aliquorum Sanctorum &c.

735. *Quæ sunt remedia contra scrupulos?* ℟. I. Scrupuli possunt tolli per medicinas, ut tollantur humores, & melancholia. II. Debet esse frequens recreatio, & occupatio circa læta & hilaria. III. Sit refugium ad Deum per orationem contra tentatio-

nes

nes Dæmonis. IV. In omnibus scrupulosus debet sequi directionem Superioris, vel Confessarii, debet illi obedire, suppositô, quòd sit Confessarius pius & eruditus. V. Non facilè credat, quòd præbuerit consensum, quia in hoc sæpè fallitur. VI. Studia sunt temperanda vigiliæ; & jejunia tantùm fiant ex consilio Confessarii; consortia sunt vitanda cum scrupulosis *&c.*

736. *Confessarius, quomodo debet se gerere cum scrupulosis?* ℞. Magna prudentia, discretio, & scientia requiritur in Confessario; aliàs si Confessarius esset imperitus & indiscretus; nullum spiritualem adferret fructum; magìs conturbaret, affligeret & induceret in desperationem. *Proinde, ut Confessarius fructuosè juvet scrupulosos;*

Observanda sunt hæc: I. Confessarius habeat notitiam & peritiam scrupulorum. II. Ut habeat remedia in promptu, & sine ulla hæsitatione instruat injungendo hoc esse faciendum, & illud omittendum. III. Prolixos discursus non faciat, neq; multiplicet rationes, ne occasio præbeatur plurium scrupulorum, sed sine discursu captivet intellectum. IV. Persvadeat & injungat obedientiam, ut abjectô suô judiciô, submittat se judicio Confessarii; scrupulosus enim non potest se ipsum regere, sed necessariò debet regi ab alio. *Ita omnes DD.* V. Extra confessionem non permittat adire, propter interrogationes faciendas de dubiis. VI. Non permittat confessiones repetere, & facere generales, nisi sit magna & evidens necessitas. VIII. Debet prohiberi

ri

ri lectio rigidiorum librorum. VIII. Non debet esse crebra mutatio Confessariorum. IX. Scrupulosis exhortatio facienda est svavis, mitis & benigna; ne afflictio addatur afflictioni; *si tamen sit necessitas*, potest adhiberi aliquando discreta austeritas, ut amoveatur pertinacia scrupulosis consentanea. *Plura apud Authores.*

CAPUT IX.

Proponit instructionem practicam, propter Confessarios, cum aliquorum casuum resolutione.

737. *Confessarius an obligatur examinare pœnitentem?* ℟. Confessarius tenetur aliquando interrogare pœnitentem. *Est communissima contra quosdam. Ratio est; tum quia*, Confessarius debet cognoscere causam, scilicet peccata omnia; si autem non interrogaret, & non adjuvaret; sæpè non cognosceret omnia. *Tum quia*, Si Confessarius habens clavim scientiæ, & non uteretur illâ, multæ confessiones essent sacrilegæ propter innatam verecundiam, vel ignorantiam.

738. *Confessarius, quomodo debet procedere in materia castitatis.* ℟. Confessarius de peccatis luxuriæ, præcipuè cum sexu fæmineo & cum adolescentibus, nimis cautè debet procedere, ne doceat peccare, & ne scandalũ, aut suspicionẽ de se ipso pariat. Unde si necessaria fuerit interrogatio, utatur verbîs paucîs & honestîs, hôc modô: I. Quærendum ante omnia generaliter: *nonne habuerit aliquam turpem cogitationem? nonne mente & voluntate a-*

liquid contra castitatem admiserit? Si tales cogitationes non habuerit, vel si habuerit, tamen illas rejecit, consensum non præbuit, confugit ad Deum & ad orationem; nil plùs est interrogandum. II. Si fateatur habuisse malas cogitationes non rejectas; ulteriùs interrogetur gradatim, à generalibus descendendo ad particularia; scilicet: *utatur verbîs cautîs, & pudicîs descendendo à cogitationibus, ad mentalem consensum illarum; à consensu ad verba, ad tactus, ad oscula, aspectus, & ad alias circumstantias, ex quibus si aliqua fateatur;* quære: *nonne fortè aliquod pejus feceris? &c.*

739. *Quæ Confessario sunt observanda circa confessionem puerorum, puellarum, & adolescentum?* ℞. Multi Viri prudentes censent in hoc gravissimam esse difficultatem; longè enim faciliùs est expedire Adultos, quàm pueros. *Ratio*; quia sæpè dubium est, an habeant annos discretionis? an re ipsa peccaverint? an habeant requisitos actus ad absolutionem? *Proinde, observanda sunt hæc:*

I. Pueris, quamvis non sint capaces absolutionis, expedit illis permittere confessionem, ut discant, & asvescant confiteri. *Unde, tenetur Confessarius, illos extra confessionem instruere, quærendo primò, de Rudimentis fidei; tandem, quæ spectant ad confessionem, & ad S. Communionem.*

II. Si Cõfessarius dubitet, an pueri, vel puellæ septẽnes habeant sufficientẽ usum rationis? debent absolvi sub conditione; quia nullus est privandus jure suô

ob



ob aliquod dubium; non verò absolutè; reverentia enim Sacramenti hoc exigit, ne exponatur periculo nullitatis. *Ita Gobat & alii communiter.*

III. Confessarius, si judicet puerum esse absolvendum, debet ipsum adducere ad dolorem hoc, vel simili modô: *Fili, qui peccant, quò perveniunt post mortem?* ℟. Ad infernum, vel purgatorium. *Quid animæ patiuntur in purgatorio, vel in inferno?* ℟. Gravissimas pœnas ignîs. *Quis detrudit hominem ad tales pœnas?* ℟. Deus. *An agnoscis, etiam te offendisse Deum, qui ita potest punire?* ℟. Agnosco. *Quæ nobis fecit bona Deus?* ℟. Multa nobis bona fecit Deus. *Quæ illa sunt bona?* ℟. Omnes gratiæ à Deo nobis datæ, sunt maxima bona, scilicet: quia creavit nos; quia redemit nos, quia continuas nobis dat gratias ad bona opera, quia vult nos salvare, & dare gloriam æternam; *&c. Si Deus tam magna facit bona, nonne dignus amari, & non offendi? Deinde; Quamvis ista bona non essent, tamen Deus est dignissimus amari; quia in ipso est omnis pulchritudo, omnis perfectio, omnis bonitas; proinde non debet offendi; cùm ergo Deum offendisti, an doles ex toto corde?* ℟. Doleo ex toto corde. *Tandem;* inducatur explicitè, & expressè ad eliciendum dolorem memoriter, vel ex aliquo libro. *Nota: eôdem modô procedendum cum rudibus, & simplicibus.*

IV. Confessarius inculcet pueris horrorem peccati: *quia reddit animam turpem, & difformem*

instar Dæmonis; quia reddit Deo odibilem; quia meretur pœnam æternam; quia privat gratiâ Dei, & gloriâ cœlesti &c.

740. *Quomodo Confessarius debet procedere cum peccatore inhabituato, & recidivo?* ℟. Confessarius potest absolvere consvetudinarium primà vice, quâ se accusat de peccatis suæ consvetudinis, licèt nulla adhuc emendatio præcesserit, dummodò illam seriò proponat; *aliis tamen vicibûs*, est deneganda absolutio, vel differenda, etiamsi dicat se habere dolorem & propositum. *Est comun: DD.*

741. *Quæ Confessario sunt observanda cum captivis & damnatis ad mortem?* ℟. sequentia:

I. Svadent Authores, ne Confessarius damnandum ad mortem, antequam capitalis sententia feratur, & publicetur, admittat ad faciendam confessionem. *Ratio*; quia exinde potest fieri periculum confessionis invalidæ; vix enim potest Reus integrè confiteri, tum ob timorem, ne ad Judicem deferatur, tum ob spem defensionis à Confessario, si se dicat esse innocentem.

II. Confessarius Reo non svadeat fugam, neq; ad illam ullìs mediìs cooperetur: quia licèt hoc posset licitè facere; hoc tamen non expedit; aliàs Judices Confessariis tam facilem aditum ad reos non concederent.

III. Confessarius ipse sententiam mortis non indicet reo; quia hoc officium spectat ad Ministros justitiæ.

IV. Diebûs antecedentibûs antequam sententia

fera-

feratur & promulgetur, quâvis die curet Confessarius adire reum per se, vel per alios, ad facienda spiritualia colloquia in variis materiis, salutarem vitam concernentibus, & sic eum disponet ad verum dolorem, & ad veram confessionem. *Tandem*, post latam sententiam omnem conatum adhibeat, quæ spectant ad confessionem, & ad dignam susceptionem SS. Eucharistiæ.

V. Pridie, & ipsa die executionis, præsertim omnem curam adhibeat ad danda varia remedia, reflectendo & svaviter inducendo reum, ut consideret jam adesse diem, à quo pendet felix, vel infelix æternitas; jam imminere viam æternitatis, & similia.

VI. Ubi ad locum supplicii deventum fuerit, jubeat Confessarius omnes adstantes genu flectere, & Deum pro eodem reo exorare.

VII. Tandem immediatè ante ipsam executionem suggerantur reo pia suspiria contritionis, fidei, spei, & charitatis Dei: *Demum*, frequens invocatio Nominum *JESU*, *&* *MARIÆ*. *De absolutione eorum v. n.* 773.

742. *Confessarius, quomodo se gerere debet, cum hæretico verè pœnitente?* ℞. 1mo: *Si hæresis sit purè mentalis & interna*, potest absolvere Confessarius quilibet approbatus. (*Ita Augustinus, Matheucci in Caut: Confess: l.* 1. *c.* 3.) *Ratio*; quia prædicta hæresis non habet sibi annexam excommunicationem Bullæ Cœnæ. ℞. 2do: *Si hæresis sit formalis externa*; non potest Confessa-

fessa-

fessarius etiam approbatus absolvere. *Ratio*; quia hæresis externa est conjuncta cum excommunicatione Bullæ Cœnæ, summo Pontifici reservata. ℟. 3*tio*: Si hæreticus tantùm *sit materialis externus*, ita,ut internè credat omnia, quæ Ecclesia Romana credit; talis potest absolvi à Confessario approbato ab Episcopo. *Matheuc*: *Ibidem*.

743. *Quæ conditiones requiruntur, & quæ ceremoniæ debent in praxi fieri, cum hæretico formali, verè pœnitente*? ℟. Hæc sunt facienda:

I. Confessarius instruat hæreticum convertendum articulos fidei necessarios, tum necessitate medii,tum necessitate præcepti. *Instruat ipsum*, in quibus articulis Catholici conveniant cum hæreticis, & in quibus differant; *ostendat ipsi certitudinem nostrorum dogmatum*, ex motivis credibilitatis Catholicæ Fidei. *Inquirat*, an sit baptizatus? in quo loco? & à quo? *&c*.

II. Hæreticus conversus in confessione quamvis multa & gravia peccata commisisset, non reprehendat illum rigidè, sed benignè & svaviter, laudet sui victoriam in manifestandis suis peccatis; nec pœnitentia gravis injungatur.

III. Talis hæreticus pœnitens debet absolvi publicè, & etiam aliis Catholicis constet authenticè, jam esse incorporatum Catholicæ Ecclesiæ.

IV. *Publica professio fidei ab hæretico converso, debet fieri hâc methodô*: Confessarius indutus superpelliceô,& stolà impositâ, cum uno saltem Ministro, die aliquô festivô, ad majus altare, ante

quod

quod Neo-Catholicus inter duos saltem testes adstantes, cum candela accensa genu flexus recitet clarâ & distinctâ voce professionem fidei vernaculâ lingvâ, in fine cujus binos digitos imponens Evangelio, (*vg. S. Joannis*,) juret se semper in Fide Catholica permansurum. *Postea Confessarius* eundem publicè formà conveniente, (*recitatô priùs Psalmô: Miserere mei Deus &c. Versibûs & oratione: Deus, qui culpâ offenderis &c.*) absolvat ab excommunicatione propter hæresim, incursâ. Quô factô neo-professus Catholicus confiteatur cuicunq; Sacerdoti (*etiam non habenti facultatem absolvendi ab excommunicatione, ob hæresim incursâ; quia ab hac jam est publicè absolutus, quæ absolutio defactò valet in foro conscientiæ;*) & absolvatur â reliquis censuris, ac ab omnibus peccatis. *Tandem*, cum devotione suscipiat Sacram Communionem.

V. Hîs omnibûs peractîs, neo-professo Catholico, detur testimonium scriptum susceptæ Catholicæ Fidei, inscribatur eadem conversio archivo Conventûs, authenticè, cum subscriptione manuum Superioris, Confessarii, & ipsius Neo-Catholici.

VI. Quæcunq; hactenus dicta sunt, intelligi debent *de hæretico, qui nunquam fuit Catholicus*; si enim Catholicus laberetur in hæresim, illâq; cõfiteretur nõ est necessaria publica professio, neq; publica absolutio (*suppositô, quòd hæretic9 nõ fuerit publicus*) sed sufficit, quòd cum vero dolore & proposito cõfiteatur, & in foro conscientiæ absolvatur à Confessa-



rio habente specialem potestatem absolvendi ab hæresi. *Ita communiter DD.*

744. *Confessarius, quomodo debet se gerere cum schismatico verè pœnitente?* ℟. 1mo: *Si schismaticus sit simul hæreticus*; eôdem modô, est procedendum, sicut cum hæretico; *ut dictum n.* 742. ℟. 2do: *Si schismaticus non sit hæreticus*; videat, *an sit internus*, & sic potest absolvi; quia in hoc casu censura non incurritur. *Si verò schismaticus sit externus*; Confessarius non potest absolvere; quia habet annexam excommunicationem Bullæ Cœnæ, Papæ reservatam.

745. *Confessarius, quomodo debet se gerere cum Apostata à fide, verè pœnitente?* ℟. Procedendum est ita, sicut cum hæretico; scilicet: *si sit internus*; potest absolvi à Confessario approbato. *Si sit formalis externus*, non potest absolvi. *Item*, potest absolvi, si Apostata fuit *tantùm materialis externus ita*, ut pœnitens intellectu suô rectè senserit de Fide Catholica. *Ratio*; quia Apostata talis non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ. *Carena*, *Mathæuc*, *&c.*

Nota: Apostasia à Fide describitur sic: *est recessus in toto à Fide Christi.* *Unde*, *Apostata à fide, per hoc differt ab hæretico*; quia hæreticus negat articulum fidei unum, vel plures; jam verò Apostata negat omnes articulos Fidei; scilicet, quando se confert ad aliam sectam Turcarum, Judæorum, Atheorum *&c.*

746. *Confessarius quomodo debet se gerere cum legen-*

legentibus, & retinentibus libros hæreticos, hæresim continentes; vel de Religione tractantes? ℟. Libros hæreticorum scienter legentes, imprimentes, vel eosdem defendentes, non possunt absolvi à Confessario etiam approbato ab Episcopo. *Ratio*; quia omnes prædicti ligantur excommunicatione Bullæ Cœnæ, á qua nullus potest absolvere, nisi summus Pontifex, vel alius ab eo delegatus. *Unde Confessarius in tali casu debet procedere hôc modô*: I. Injungat pœnitenti, ut deferat librum Inquisitoribus, vel in defectu illorum, ipsi Loci Ordinario. II. Non absolvat priùs (*quamvis habeat concessam sibi potestatem*,) nisi pœnitens priùs realiter talem librum unum, vel plures, referat Inquisitoribus, vel Episcopo. III. Si pœnitens sciat etiam alios complices, retinentes in suis domibus libros hæreticorum, ante absolutionem præcipiat, ut intra Mensem denuntiet Inquisitoribus, vel Episcopo. IV. Inquirat, à quanto tempore habuit tales libros? quoties illos legit? vel quoties etiam aliis accommodabat? V. Aperiat gravitatem peccati, quòd peccaverit mortaliter contra obedientiam debitam Ecclesiæ, & contra fidem propter periculum amittendi illam; excitet pœnitentem ad eliciendos actus fidei; tandem injunctâ pœnitentiâ, (*si data sit potestas absolvendi*) absolvat.

Observanda insuper sunt hæc: I. Ut excommunicatio Bullæ Cœnæ in hac materia incurratur, hæ sunt conditiones: *Primò*: Ut Author libri sit hæreticus, sive talis author sit damnatus, sive non;

sive



five publicus, five occultus. *Secundò:* Ut fiat fine licentia Sedis Apoftolicæ. *Tertiò:* Ut legatur materia notabilis, & fufficiens ad peccatum mortale. *Quartò:* Ut fcienter legatur, imprimatur, vel retineatur. *Quintò:* Ut liber exprefsè hærefim contineat, vel de Religione tractet.

II. *Liber tunc hærefim continet*, quando aliquid docet contrarium articulis Fidei; *v.g.* Si doceret: *Sacramenta non effe feptem*; *fub fpeciebus panis non effe Corpus Chrifti*; *Pontificem Romanum non effe verum Chrifti Vicarium*, & *Petri Succefforem &c.* Hæ & fimiles propofitiones funt hæreticæ.

III. *Liber tunc de Religione tractat*; quando tractat de illis, quæ fpectant ad expofitionem fidei, fcilicet: quādo explicatur S. Scriptura, de cultu Dei, & Sanctorum, de Sacris ritibus, de Clericis, de monachis, Prælatis, de Ecclefia vifibili, & invifibili, *hæc omnia fpectant ad Catholicam Religionem.*

IV. Eandem cenfuram incurrit, qui legit manu fcripta ab hæretico, fi contineant hærefim, vel de Religione tractent. *Ratio*; quia funt verè libri. *Mathæuc: l. 1. c. 34.*

V. Eandem cenfuram incurrit, qui hæreticos libros legeret non malô animô, fed ex fola curiofitate, vel ad confutandos errores hæreticorum. *Ratio*; quia non eft licitum legere fine licentia Sedis Apoftolicæ; Bulla enim non confiderat animum, fed factum. *Unde, non excufatur etiam ille*, qui ita eft firmus in fide, ut moraliter non fit periculum

lum sequendæ hæresis. *Ibidem.*

VI. Qui retinet librum prohibitum parvô tempore; *vg.* unô vel alterô die, non incurrit excommunicationem. *Ratio;* quia parvitas materiæ & temporis excusat. *Ita Buxembau.* *Item*, excusat ab excõmunicatione ignorantia crassa, si vel nesciat esse hæreticum, vel nesciat tractare de Religione; *Plura in Cautela Confess: Mathauc: & apud alios Authores.*

747. *Confessarius quomodo debet se gerere cum Astrologo verè pœnitente?* ℞. *Suppositò, quòd Astrologia sit judiciaria & illicita; si fuerit sine ulla hæresi;* antequam absolvatur, curet Confessarius, ut libros Astrologiæ referat Inquisitoribus, vel Episcopo. De falsitate moneatur, ut retractet, & detestetur talem Astrologiam. Optimum est eidem persvadere, ut spontè præsentet se coram Inquisitoribus, ut sic possit gaudere privilegiis spontè comparentium.

Dictum : si fuerit Astrologia sine ulla hæresi; quia si contra fidem erraverit, *vg. quòd homines nati sub tali vel tali sydere necessitentur, & cogantur ad benè, vel malè operandum;* talis Astrologus esset hæreticus formalis, consequenter cum illo procedendum est, ita, sicut cum hæretico; *ut dictum supra. Nota: Astrologiam esse 2plicem: Naturalem, & Judiciariam.*

Astrologia naturalis, & licita; tunc est, quando præcognoscuntur effectus necessarii & naturales, ex constellationibus, ex aspectu, motu, & situ astro-



ſtrorum; *vg.* pluvia, ſerenitas, tempeſtas in mari, *&c.*

Aſtrologia Judiciaria, & illicita; quando habitô, tacitô, pactô cum Dæmone, ex aſtris prædicuntur effectus contingentes, pendentes à libertate creata.

748. *Confeſſarius, quomodo debet ſe gerere cum obligatis ad denuntiandum hæreticum?* ℟. Sunt hæc reſolvenda:

I. *Non denuntians, ſi ſit ſimul fautor, defenſor, vel receptator hæreticorum*; talis incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, & non poteſt abſolvi propter cenſuram Papæ reſervatam.

II. *Non denuntians, ſi omiſerit denuntiare pertotum tempus, ab edicto inquiſitionis taxatum, ad incurrendam excommunicationem*; talis etiam non poteſt abſolvi ob eandem excommunicationem Papæ reſervatam, licèt non ſit fautor hæreticorum.

III. Obligatio denuntiandi hæreticos, eſt tum ex jure naturali, tum ex jure canonico; idq; ad hanc denuntiationem non debet præmitti fraterna correctio. *Unde Filius*, tenetur denuntiare Patrem hæreticum; *uxor*, maritum, *frater*, fratrem, *&c. Deinde*, denuntiandus hæreticus etiam occultus, cujus crimẽ poteſt probari duobûs teſtib9; imò quamvis ſolus ſciret denuntians. *Item*: quamvis ſciretur hæreſis ſub ſecreto etiam jurato. *Item*; quamvis hæreticus ſit emendatus, debet denuntiari. *Plura in Caut: Conf: Mathæuc: l.* 1. *c.* 4.

749.



749. *Confessarius quomodo debet se gerere cum Confessario solicitante?* ℟. Hæc sunt observanda, & resolvenda:

I. Si talis Confessarius in actu solicitationis, nullum habuit errorem in intellectu, credendo aliquid contra fidem; *v.g. quòd licitum sit profanare Sacramentum;* &c. potest absolvi à Confessario approbato. *Ratio;* quia casus ex parte Confessarii solicitantis, non est reservatus in jure.

II. Si Confessarius solicitans, habuerit in intellectu aliquem errorem contra fidem; procedendum cum illo, ita, sicut cum hæretico; quinimò correptus debet remitti ad Judices fidei.

III. Confessarius solicitans, (*si docuerit personam solicitatam non teneri ad denuntiandum, si confiteatur coram Confessario solicitante;*) non potest absolvi; quia talis incurrit excommunicationem Papæ reservatam; *ex decret: Alexandri VII.*

IV. Sacerdos solicitans antequam absolvatur, debet exigi ab illo juramentum; ne ampliùs hoc crimen committat; quia in enormibus omninò debet exigi juramentum. *In casu verò, si nollet præstare juramentum;* non debet absolvi tanquam indispositus, & non paratus, ad non patrandum hoc crimen:

V. Sacerdos solicitans, ne luat pœnas in foro externo; consulendum est illi, ut sponte fateatur suum crimen coram Inquisitoribus. *Ratio;* quia, si nullis indiciis est præventus; *gaudebit beneficiô*

spon-



sponte comparentium; & si est præventus; *gaudebit beneficiô comparentium non citatorum, neq; vocatorum. Plura Mathæuc: Ibidem l. 1. cap. 5.*

750. *Confessarius, quomodo debet se gerere cum persona solicitata?* ℟. Persona solicitata antequam absolvatur, debet Confessarius monere illam, de obligatione denuntiandi Confessarios solicitantes Inquisitoribus, vel Ordinario; ita, ut si intra Mensem non denuntiet (*quia tale tempus in edicto Sacræ Inquisitionis statutum est ad denuntiandum*,) ipsô factô incurrat censuram, cujus absolutio est reservata eidem S. Officio; consequenter nullus Confessarius inferior potest absolvere extra articulum mortis; neq; sub tempus Jubilæi, & suppositô, quòd in articulo mortis absolveretur, non aliter tamen; nisi impositô onere & receptâ juratâ promissione, ut cessante periculô, compareat coram Inquisitoribus fidei ad denuntiandum eundem Confessarium, sub pœna reincidentiæ in eandem censuram. *Unde*, Persona solicitata quamvis Confessario solicitante consensum præbuerit, obligatur denuntiare. *Item*, Virgo sæcularis, vel monialis, si non potest adire Inquisitores, vel Episcopum per se ipsam, tenetur per literas denuntiare. *Item*: quamvis grave damnum timeret, obligatur; quia cuicunq; periculo potest occurrere S. Officium. *Ibidem.*

751. *Persona solicitata, quæ noluit denuntiare Confessarium solicitantem, an potest absolvi*

tem-



tempore Jubilæi? ℟. Non poteſt. *Ratio*; quia privilegium etiam tempore Jubilæi intelligitur ſatisfactâ parte, & ſine præjudicio tertii; *jam verò hic tertium, & pars læſa, eſt ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, & commune bonum Eccleſiæ ac fidelium; cui tenetur Pœnitens ſatisfacere per denuntiationem. Ibidem.*

752. *Confeſſarius, quomodo debet ſe gerere cum duellante?* ℟. Duellans ſi ſit conſtitutus in articulo mortis, debet abſolvi ſervatîs conditionibûs; *uti in ſimili dicetur de hæreſi n.* 768. Si verò ſit extra periculum mortis, non poteſt abſolvi; quia duellum eſt caſus reſervatus ſummo Pontifici, & habet annexam cenſuram excommunicationis. Duellum autem poteſt deſcribi ſic: *eſt certamen duorum, vel plurium, initum authoritate privatâ ex mutuo conſenſu, cum periculo vitæ, vel mutilationis, in certo loco, & tempore deſignato,*

Obſervanda ſunt hæc: I. Duellum, quod fit Authoritate privatâ, ſemper eſt peccatum mortale, & eſt intrinſecè malum, neq; unquam licitum eſt illud offerre, vel acceptare. *Ita omnes DD. Ratio; tum quia*, ſolus Deus habet dominium vitæ hominis, ergo illam non eſt licitum deſtruere, neq; ſe committere periculo illius deſtruendæ. *Tum quia*, *Trid: Seſſ:* 25. *cap:* 19. ait: *deteſtabilem duellorum uſum, fabricante Diabolô, introductum eſſe, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur. Neq; dicas:* Duellum

eſt



eſt neceſſarium ad vitandam ignominiam, & ignominiæ notam, quæ contrahitur, ſi duellum non acceptetur, vel injuria accepta non vindicetur. ℞. *Nego antecedens. Ratio*; quia quæcunq; illa ſit ignominia, orta ex perverſo hominum judicio, debet contemni; ne amittatur gloria cœleſtis, & felicitas æterna, & contrahatur infelicitas, ac ignominia æterna.

II. Hanc excommunicationem Papæ reſervatam, non tantùm incurrunt duellantes ipſi, ſed etiam eorum ſecundantes, fautores, defenſores, ſvadentes, provocantes, opem, vel conſilium dantes; ex induſtria ſpectatores; id eſt: qui non caſu, ſed ex propoſito aſpiciunt duellantes. *Ita Clemens VIII.*

III. Duellans, qui moritur in ipſo conflictu, privatur S. Sepulturâ, quamvis ante mortem daret ſigna pœnitentiæ, & à Confeſſario abſolutionem reciperet. *Ratio*; quia denegatio ſepulturæ, non eſt præciſè ob deceſſionem in peccato, ſed in pœnam & deteſtationem duelli commiſſi. *Dictum: qui moritur in ipſo conflictu*; quia ſi duellans acceptô vulnere aliô die moreretur, non privatur Eccleſiaſticâ Sepulturâ. *Ratio*; quia à Trident: pœna privationis ſepulturæ infligitur tunc: *Si in ipſo conflictu deceſſerint*; & à Clemente VIII. *Si in ipſo conflictu obiêrint. Mathæuc: l.* 1. *cap:* 2. *Antoine, & alii.*

753. *Confeſſarius, quomodo debet ſe gerere cum pro curantibus abortum?* ℞. Confeſſarius debet interrogare, an fœtus fuerit animatus, vel inanima-

nimatus? *Si fuerit inanimatus?* (*& aliunde capax absolutionis;*) potest talem pœnitentem absolvere. *Si verò fuerit fœtus animatus;* Confessarius approbatus, si non habeat specialem facultatem concessam ab Episcopo, non potest absolvere. *Ratio;* quia procuratio abortûs est casus habens annexam excommunicationem reservatam Ordinario; juxta Constitutionem Gregorii XIV. *Mathæuc: ibidem lib. 2. c. 20. n. 16.*

Observanda sunt hæc I. In Confessario non sufficit facultas quæcunq; absolvendi à casibus Episcopo reservatis, sed necesse est, ut sit specialiter deputatus ad hos casus; ita, ut in facultate individuè exprimatur quòd possit absolvere delinquentes circa abortum fœtûs animati; *ut habet expressè Constitutio Gregor:.*

II. Censura hæc non incurritur, nisi secutô mortis effectu; id est: quando re ipsa secutus est abortus animati fœtûs, & nisi liberè & scienter abortus procuretur.

III. Pœnitens, si diceret: *probabile erat, quòd non fuerit animatus;* similiter talis non potest absolvi à Confessario etiam approbato, si non habeat specialem facultatem. *Ratio; tum quia,* Pœnitens etiam talis est reus homicidii, consequenter est excommunicatus; quia quando probabile est non esse animatum, probabile etiam est, esse animatum. *Tum quia*, in moralibus ejusdem est malitiæ voluntariè se constituere, in morali & proximo periculo committendi aliquod crimen, ac revera crimen committe-

mittere; *Ergo*, talis est reus homicidii.

754. *Confessarius, quomodo se debet gerere cum illo, qui tenetur ad restitutionem?* ℟. *Observanda sunt hæc:* 1mo: *Si summa sit tenuis & levis*; potest pœnitens absolvi, si faciat propositum restituendi; supposito, quòd primâ vice confiteatur; secùs, si in præteritis confessionibus, jam fuit injuncta restitutio, tamē non est facta satisfactio, hôc casu non debet dari absolutio. 2do: *Si summa fit notabilis, & potens sit ad restitutionem*; quamvis pœnitens faciat propositum, non debet absolvi, nisi priùs restituat. *Ratio est*; quia sicut non est licitum alienam rem surripere; ita non est licitum, alienam rem injustè possessam retinere, differendo illius restitutionem. *Communis DD. In simili vide, infra n.* 775. 3tio: *Si pœnitens non sit potens ad restitutionem*; potest absolvi, sive summa sit levis, sive notabilis; dummodo habeat propositum restituendi. *Præcavent tamen Doctores*; quòd difficilè sit discernere: an hæc impotentia sit vera & realis; an potiùs ficta & peccaminosa? *Proinde*; Confessarius studeat sedulò discernere, non ne pœnitens illicitis mediis sit causa talis impotentiæ; certò est causa; *si lusui sit deditus, si frequentet popinas, si lascivè vivat, si quod saltem ex parte posset restituere creditori, temerè dilapidet; &c. Plura apud Casistas.*

755. *Confessarius, quomodo debet procedere cum fure?* ℟. Eôdem modô procedendum est, ut immediatè dictum; defactò enim quilibet fur tenetur

tur ad restitutionem. *De furto dicta, v. n. 102, & sequ:*

756. *Confessarius quomodo debet procedere cum detractore pœnitente?* ℞. Confessarius debet interrogare detractorem, an tantùm audivit detractionem? an ipse sit formalis detractor? *Deinde;* an imposuit falsum crimen? an crimen verum, tamen occultum? *Circa quam materiam, observanda sunt hæc:* I. *Si detractor audiêrit detractionem, & induxerit;* peccavit contra justitiam, & charitatem, consequenter tenetur ad restituendam famam. *Si verò fuerit tantùm audiens detractionem, & non induxerit, tamen hæc detractio complacuit, neq; interrupit, quamvis potuit;* peccavit tantùm contra charitatem.

II. *Si ipse formalis sit detractor;* debet interrogare de numero personarum; coram quibus personis? & quot personis sit detractum? *Ratio;* quia detractor, tot peccata committit contra justitiam, quot personas in fama læsit, & tot peccata scandali contra charitatem. *Item:* debet etiam hæc exprimere, utrum hæc detractio fuerit de tota familia? vel de uno? vel de aliquibus tantùm &c.

III. Detractor, si imposuerit falsum crimen; peccavit triplici peccatô, id est: *mendaciô perniciosô, peccatô contra justitiam, & peccatô scandali, contra charitatem.*

IV. *Detractor, si imposuerit crimen verum, sed occultum;* peccavit duplici peccatô, id est: contra justitiam, & charitatem.



V. *Detractor, si locutus fuerit de crimine publico, & coram scientibus;* peccavit unô peccatô, contra charitatem tantùm.

VI. Restitutio famæ debet fieri his modìs: *Primo:* Si quis honorem læserit coram quibusdam personis, debet coram iisdem debitam reverentiam exhibere. *vg.* antecedenter salutando, invitando ad Mensam, eum visitando, conversando veniam petendo, vel aliô modô secundùm prudens judicium. *Secundò:* Si quis imposuerit falsum crimen; tenetur retractare coram iisdem personis efficaciter; *vg.* dicendo: *Falsum se dixisse.* Et si opus fuerit, etiam præstando juramentum; ut audientes credant crimen falsum impositum fuisse. *Tertiò: Si quis diffamaverit, & imposuerit crimen verum, sed occultum;* tenetur ad restitutionem famæ, in quantum posset non debet tamen mentiri, *vg. dicendo: quòd dixi, non esse verum.* (*Ratio; quia mendacium ab intrinseco est malum;*) sed debet restituere famam aliô modô; *vg.* dicendo: *imprudenter sum locutus; absq; debita advertentia, & informatione, ideo non credatis;* vel laudet infamatum, & honorificè loquatur de eo, ubi datur occasio. *Quartò:* Non tantùm fama debet restitui infamato; sed etiam debent compensari damna, si quæ secuta sunt ex tali diffamatione. *Quintò:* Qui detraxit alteri librò famosô, debet restituere famam contrariîs publicîs scriptîs. *Mathauc: lib: 2. cap: 25.*

VII. Infamatus, an potest licitè condonare restitutio-

tutionem famæ? *pro, & contra disputant Authores*; Interim peccat, qui condonat, quando infamia redundat in alios, *vg.* Filios, fratres, subditos, vel Monasterium; ideo Prælatus contra justitiam peccat, condonando famam communitatis, vel suam ut publicæ Personæ *&c. Ibidem n.* 26.

VIII. Detractio, si facta fuerit *defuncto, & tantùm defunctus dishonoretur*; debet restitui fama eôdem modô, ac si viveret; si verò detractio *defuncti redundet in familiam, & hæredes viventium*; debet fama illis restitui. *Plura de hac materia vide supra* 121 122. 123.

757. *Confessarius quomodo debet se gerere cum Ignorante Mysteria fidei?* ℟. *Observanda sunt hæc:* I. Certum, quòd ignorans etiam invincibiliter necessaria necessitate medii omnia, vel unum, non sit capax absolutionis. *Unde*; pœnitens mortaliter peccat, si petat absolutionem ignorando mysteria fidei, & Confessarius peccat absolvens scienter eundem.

II. Mysteria fidei necessaria necessitate medii sunt hæc: *Credere Deum existere, credere esse Remuneratorem supernaturalem, credere mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Mysterium Incarnationis, & Redemptionis Christi, id est: credendo Christum esse Deum & hominem, ipsius Passionem, Mortem, & Resurrectionem.* Hæc mysteria quilibet Catholicus debet credere fide actuali & explicitâ, ut dictum est *n.* 161. *Unde, Parochus, & Confessarius*, tenetur rudem monere, ut



si non plùs, saltem sex vicibûs de Anno eliciat a-ctum fidei ex motivo supernaturali. Formula potest esse hæc: *firmissimè credo Deum esse unum & trinum; Christum esse Incarnatum, passum &c. quia Deus summè verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ; & hæc nobis omnia proponit Ecclesia.*

III. *Parochi & Confessarii* tenentur instruere rudes pœnitentes, quòd sine actuali fide explicita præfatorum mysteriorum non possint salvari & justificari. *v. n.* 161.

IV. *Parochus & Confessarius* curet docere mysteria fidei necessaria necessitate præcepti; nimirum: *Sacramenta, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decem Dei præcepta, & præcepta Ecclesiæ. Unde,* sæpè expedit, rudibus præter alias pœnitentias, *imponere etiam hanc, ut addiscant mysteria, & articulos fidei. V. n.* 162.

Resolutiones Casuum sub tempus Jubilæi.

758. *In Bulla Jubilæi, quando datur facultas absolvendi à censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; an eo ipso datur potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ; si hoc expressè non exprimatur?* ℟. Non datur potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ. *Ratio*; quia censuræ in Bulla Cœnæ contentæ, propter suam specialem rationem,

gra-

gravitatem, & reservationem, non censentur in generali concessione contineri, nisi explicitè exprimantur. Unde tot peccata Confessarius committit, & tot censuras incurrit, quot personas sine facultate absolvit à casibus Bullæ Cœnæ. *Mathæuc: lib: 1. cap: 27.*

759. *In Bulla Jubilæi, quando datur facultas absolvendi etiam à casibus Bullæ Cœnæ, an potest Confessarius absolvere ab hæresi?* ℟. (*Ex Mathæuc: fol: 12. n. 23.*) Non potest absolvere si sit hæresis externa formalis, nisi expressè hoc concedatur in Bulla. *Ita S. Congreg: sub Alexandro VII. Annô 1656. die 13. Maji, decrevit.* Secùs dicendum de hæresi purè interna. *Ibidem lib: 1. cap: 3. n. 23.*

760. *Tempore Jubilæi Confessarius quomodo debet se gerere cum legentibus libros hæreticos?* ℟. Confessarius debet interrogare; legendo librum, an habuit in intellectu errorem contra fidem? *Si non habuit*; potest absolvi ab excōmunicatione, sed priùs curet, ut re ipsâ cum effectu referat libros Inquisitoribus. *Si habuit errorem contra fidem*; non debet absolvi. *Ratio*, ut supra; quia est hæreticus formalis, & jam externus; jam verò ab hæresi præfata vigore Jubilæi, nullus potest absolvere; nisi hoc expressè in Bulla Jubilæi concedatur. *Ibidem lib: 1. cap: 34.*

761. *Excommunicatus denuntiatus, non satisfactâ parte, an potest absolvi vigore Jubilæi?* ℟. Non potest absolvi non satisfactâ parte; id est: si



ſi non fuerit facta reſtitutio, vel honoris, vel famæ, vel bonorum;ob quorum læſionem,fuit quis excommunicatus.

762. *Violatores immunitatis Eccleſiaſticæ, an poſſunt abſolvi virtute Jubilæi?* ℟. Non poſſunt abſolvi. *Ita aliquoties declaratum eſt, in S. Congr: Idem, lib: 1. cap: 8. §. 1.*

763. *In Bulla Jubilæi, quando denegatur poteſtas commutandi votum caſtitatis per hoc, quale intelligitur votum caſtitatis?*℟. Intelligitur votum caſtitatis perpetuæ & perfectæ; quia de eſſentia caſtitatis perfectæ eſt, ut ſit perpetua. *Unde*, votum caſtitatis perfectæ à Doctoribus deſcribitur ſic: *eſt abſtinentia in futurum ab omni voluntaria delectatione venerea, tam extra, quàm intra conjugium,tam interna, quàm externa.*

Obſervanda ſunt hæc: I. Confeſſarius virtute Jubilæi poteſt cummutare votum non nubendi. *Ratio*; quia hoc votum non eſt totius caſtitatis, ſed tantùm partis.

II. Si quis faceret votum ſuſcipiendi Sacros Ordines; hoc votum in Jubilæo poteſt commutari. *Ratio*; quia non eſt votum caſtitatis, neq; in ſe caſtitas promittitur, ſed tantùm ſtatus, cui votum caſtitatis tacitè annexum eſt. *Ita Lacroix, Laym, Mathauc: &c.*

III. Si quis votum faceret caſtitatis ad annos 100. tale votum in Jubilæo non poteſt commutari. *Ratio*; quia hoc votum cenſetur perpetuum;cum

vita

vita hominis tantò tempore durare non præsumatur; secùs dicendum, si votum sit, ad biennium, vel decennium &c.

IV. Votum servandæ Castitatis in perpetuum, sive sit simplex, sive solemne, non potest commutari in Jubilæo. *Ratio*; quia utrumq; votum est perfectæ Castitatis, sive sit simplex, sive solemne.

V. *Universalis & generalis est Regula, pro votis commutandis, vel non commutandis*; quoties votum est perfectæ castitatis, perpetuæ, & totalis, toties non potest in Jubilæo commutari; secùs si sit votum partialis castitatis. *Plura Mathæuc: lib: 1. cap: 27.*

CAPUT X.

Proponit instructionem practicam de infirmis, & moribundis.

764: *Confessarius circa visitationem infirmorum, quid debet observare?* ℟. I. Debet præmittere orationem ad Spiritum S. ut fructuosè, & cum utilitate, possit juvare infirmum in summa necessitate, à qua dependet tota salus & beatitudo moribundi. II. Debet facere firmissimam intentionem, ut nil aliud quærat, nisi solam gloriam Dei, & salutem ipsius ægroti. III. Eâdem curâ, & affectu amplecti pauperes, ac divites; nobiles, ac ignobiles. IV. Secundùm Rituale Romanum, ingressus cubiculum infirmi dicat: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Tandem aspergat infirmum aquâ benedictâ, lectum, & cubiculum, dicendo:

do: *Asperges me Domine &c.* V. Confessarius, ut famæ suæ, & innocentiæ consulat; nunquam facilè cum infirmo, præsertim cum fæmina, clausâ januâ, & extra conspectum aliorum loquatur; sed semper habeat secum socium, & apertâ januâ quantùm fieri potest confessionem excipiat. VI. Confessarius sine ulla mora, etiam non vocatus, multò magis vocatus, pergat ad infirmum; quia in hoc casu gravis momenti, omnis mora eit periculosa, ut constat ab experientia, & ex variis historiis *&c.*

765. *Allocutio & recitatio actuum, ut sit fructuosa, qualis debet esse?* ℟. Magna est necessitas & decentia, ut moribundus suam vitam finiat inter pios affectus, & suspiria. *Ratio*; quia dum his occupatur, præcluditur aditus Dæmoni, & ejus insidiis; rectiùs disponitur ad mortem per varios actus contritionis, fidei, spei, charitatis, resignationis *&c.* *Observanda sunt hæc:* I. Hos actus & aspirationes Confessarius debet pronuntiare verbis paucis, articulatè, & interruptè; ut moribundus debilis habeat respirium. *Unde, non rectè faciunt*; qui indiscretè miseros agonizantes molestis exhortationibûs, aut clamoribûs potiùs excruciant, quàm solantur; quod maximè vitandum est circa personas Spirituales & devotas, quæ supponuntur esse exercitatæ in piis actibus & affectibus. II. *Allocutio hæc*, debet esse brevis; quia longa non modicè sæpè gravat infirmos. III. *Præfati actus, & affectus*, debent esse accomodi ad statum moribundi, tempestivè selecti; non verò temerè ex memoria,

vel

vel ex libro ſumantur inconvenientes. IV. *Moribundus quando adhuc validior eſt*; expedit aliquando inquirere eundem, quos vellet actus, & affectus vel orationes pronuntiare, & quibûs aſvevit, & quos actus vellet, ac deſideret in agone? *&c.*

766. *Confeſſarius, quibûs mediîs debet juvare infirmum proximum morti?* ℟. Inter alia ſequentibûs:

I. *Confeſſarius debet in ægro excitare magnū deſiderium procurandi ſalutem*; quam ut ſortiatur, inducendus ad faciendam confeſſionem, ad Communionem per modum Viatici; tandem ſi opus fuerit, ad Extremam Unctionem.

II. *Si infirmus necdū fecerit teſtamentū*; moneat, ut ſine mora faciat, ut ſic abjectîs negotiîs temporalibûs, omnem curam adhibeat circa ſalutem animæ.

III. *Si deprehendat morbum eſſe periculoſum*; curabit impedire mundana amicorum colloquia, inanes ploratus, & alia impedimenta, quæ potiùs excitant affectus temporales, non verò ſpirituales.

IV. *Debet curare*; ut æger conſequatur indulgentiam, quocunq; titulô; ſive ratione alicujus congregationis, ſive per aliquod metallum, ſive per invocationem Sanctiſſimi Nominis JESU, *&c.*

V. *Faciat ob oculos poni Effigiem Crucifixi, vel aliam*; quæ DEI memoriam excitet; aquâ luſtrali æger, & lectus, frequenter aſpergatur *&c.*

VI. *Si medicus vel amici nolint de mortis periculo admonere*; præſtabit diſcretè, & ſvaviter,

hoc



hoc opus charitatis, ipse Confessarius.

VII. *Confessarius præcipuè debet curare*; ut infirmus sæpè invocet Sanctissima *Nomina JESU, & MARIÆ*; quandocunq; est tristitia, vel tentatio; præsertim in ultimo articulo mortis; unde ægrotus quando advertet vires deficere, non cesset eadem Nomina invocare, usq; ad ultimum halitum vitæ, tum propter indulgentias lucrandas, tum pro solatio animæ; *& quando non poterit ore, proferat corde, & mente.*

Resolutiones quædam de Moribundis.

767. *Moribundus, an potest absolvi ab omnibus casibus reservatis etiam à simplici Sacerdote, non approbato?* ℟. Certum est posse absolvi à quocunq; Sacerdote. *Vide de hos n.* 677.

768. *Confessarius an potest absolvere moribundum ab hæresi, & à censuris?* ℟. Quilibet Sacerdos potest absolvere in articulo mortis ab omni hæresi etiam publica, & ab omnibus censuris, sive sint Bullæ Cœnæ, sive extra Bullam cœnæ. *Ratio*; quia *Trident: Sess.* 14. *cap*: 7. definit nullam esse reservationem in articulo mortis.

Observanda sunt hæc: I. *Universalis est Regula in articulo mortis, & in urgenti necessitate*; Confessarius privatus & inferior, potest absolvere ab omnibus casibus reservatis, etiam annexam habentibus censuram Papæ; *vg.* ab hæresi, à duello;

lo; &c. *hoc tamen casu absolveret tantùm indirectè ab iisdem. Unde*, Confessarius antequam absolvat, sub peccato mortali obligatur injungere pœnitenti tria onera: *Primò*: ut pœnitens (*si convaluerit*) præsentet se Superiori, vel habenti potestatem absolvendi à censuris. *Secundò*: ut faciat promissionem de stando mandatis Ecclesiæ. *Tertiò*: Si satisfactio debeat fieri, debet illi priùs satisfacere, vel saltem cautionem juratam dare; postea absolvat cum prædicto onere, ut cessante morbô præsentet se Superiori, quòd si non præsentaverit se, incurrat in eandem excommunicationem.

II. Confessarius onera prædicta tenetur sub peccato mortali injungere, antequam absolvat. *Ratio*; quia materia est gravis per Sacros Canones requisita; unde Confessarius licèt validè absolvat, peccat tamen mortaliter, si omittat. *Ita Felix Potestas tom*: 1. *n*. 3363.

III. *Pro censuris reservatis in Bulla Cœnæ*, requiritur juramentum, seu promissio jurata; *pro censuris autem reservatis extra Bullam Cœnæ in foro Sacramenti*, sufficit simplex promissio; jam verò juramentum exigitur tantum pro foro externo. *Idem tom*: 1. *n*. 3365.

IV. Absolutus à reservatis, quæ non habent annexam censuram, licèt convaluerit, nulli superiori tenetur se præsentare. *Ita Sanctorus, Navarrus, & alii.*

769. *Moribundus destitutus usu lingvæ, si pectus pugnô pulset, suspirans oculos ad Cœlum*

tol-



tollat, vel aliud signum doloris ostendat, an debet absolvi? ℟. Debet absolvi, & hæc signa debent censeri directê ad Sacramentalem absolutionem. *Si tamen sit dubium*; an signa sint orta ex vi contritionis, vel potiùs ex mærore & angustia mortis? danda est absolutio sub conditione ob vitandum periculum sacrilegii. *Est commun: DD.*

770. *Moribundus, si nullum signum dederit, an debet absolvi?* ℟. Debet absolvi, saltem si unus sit testis asserens petitam esse confessionem à moribundo, & habuisse signa contritionis. Quodsi verò, neq; signa, neq; testes essent; si tamen probè & Christianè hactenùs se gesserit, debet dari absolutio sub conditione. *Dicitur: Si se gesserit Christianè*; nimirum, si ut bonus fidelis frequentaverit confessionem, & Communionem, ac alia hujusmodi. *Ita passim DD.*

771. *Moribundus, qui vulnus lethale accepit, & jacens in platea, peteret Confessarium; quid faciendum est? si etiam extremè & necessariè debet adhiberi medicina?* ℟. Debet Confessarius unum, vel alterum peccatū audire & absolvere; tandē cedere medico ad medicinā exhibendā. Si autem supervixerit, confiteatur iterùm integrê, & iteratò absolvatur.

772. *Quid faciendum cum illis, qui versantur in evidenti periculo vitæ, vg. naufragio, peste, bello; &c.* ℟. Sufficit unum vel aliud peccatum dicere, & sic absolvantur. *Quodsi neq; hoc possent*; sufficit signum doloris facere, *vg.* genufle-

xio-

xionis, tunſionis pectoris &c. In hoc caſu poſſunt ſimul etiam plures abſolvi per hanc formam: *Ego vos abſolvo à peccatis veſtris &c. Ita communiter DD.*

773. *Quid ſentiendum de damnatis ad mortem?* ℟. Poſſunt abſolvi à quovis Sacerdote, quia defactò ſunt conſtituti in articulo mortis.

774. *Quid ſentiendum de mulieribus prægnantibus?* ℟. Cenſentur verſari in periculo mortis illæ, quæ poſt octavum Menſem à conceptione, ſunt expertæ difficiles & periculoſos partus. *Deinde,* illæ, quæ primò pariunt; proinde debent abſolvi, ſicut alii moribundi in ſimili periculo conſtituti.

775. *Quid cenſendum de moribundo, qui abſtulit injuſtè alteri famam, vel pecuniam?* ℟. Infirmus debet ſtatim reſtituere ante mortem, ſi commodè poſſit fieri; neq; ſufficit demandare curam hæredibus. *Ratio; tum quia,* qui vult reſtituere per hæredes, habet voluntatem reſtituendi tantùm conditionatam; ſi videlicet moriatur; & ſic non eſt benè diſpoſitus ad abſolutionem. *Tum quia,* qui non vult reſtituere tunc, cum poſſit & debeat; mortaliter peccat, & quò magis differt, eò gravius peccat. *Ita Toletus, Felix Poteſtas, & alii.*

De Sacro Viatico.

776. *Quid nomine Viatici intelligitur?* ℟. Intelligitur Sanctiſſima Euchariſtia, quæ ſpeciali modô ſolet dari moribundis, conſtitutis in periculo mortis. *Dicitur: Viaticum ex eo;* quia eſt ſalutare

re

re medium animabus in viam æternitatis ituris; confert enim ex opere operato specialia auxilia, moribundos adjuvantia.

777. *An Viaticum potest dari non jejuno?* ℟. Potest dari; si infirmo sit incommodum sine cibo & potu expectare à media nocte, usq; manè. *Item*; si longè distet, & periculosè ægrotet. *Commun: DD.*

778. *Viaticum, in eodem morbo, infirmus, an potest sæpiùs recipere?* ℟. Potest & quidem vel post sex, vel octo dies. *Ita Henric: Regin: &c.* Inducendus autem infirmus, ut sumat Sacrum Viaticum tempestivè propter casus insperatos. *Cavendum etiam est*; ut propter summam SS. Eucharistiæ dignitatem, cum magna reverentia, non tantùm interna, sed etiam externa, (*v.g. si fieri potest*) genibûs flexîs, sumatur. Excitandi sunt in ægro actus ferventes: *Fidei, spei, charitatis, gratiarum actionis, resignationis &c.* Pro quo motiva possunt esse hæc: *quòd adveniat sponsus animæ, Ductor ad Cœlum, Bonus Pastor ovem errantem in humeros suscepturus; Protector & defensor; Deus munificentissimus, &c.*

779. *Viaticum an potest dari plenè ebrio?* ℟. Non potest, si constet ebrietatem plenè fuisse voluntariam, *potest tamen dari*, si de hoc dubitetur, dummodò absit periculum irreverentiæ. *Quod si solitus fuerit, voluntariè se inebriare*; censendus est, etiam nunc hoc fecisse & sic privandus est Viaticô. *Lacroix, Gob: & alii.*

780. *Viaticum, an potest dari amenti & deliran-*



liranti? ℟. Si nullum periculum irreverentiæ timeatur, poteſt dari deliranti, qui propter febrim incidit in amentiam; præſertim ſi ante deliriũ S. Viaticum deſideraverit, multò magìs, ſi ſigna contritionis oſtenderit. *Commun*: DD.

De Extrema Unctione.

781. *In Extrema Unctione, an omnes ſenſus externi debent neceſſariò inungi?* ℟. In caſu neceſſitatis poteſt etiam unum membrum inungi; *vg.* Manus ſola, & tunc debet eſſe hæc forma: *per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti. Caſus autem neceſſitatis à quibusdam tales ponuntur*: I. Si ſit periculum, ne infirmus moriatur, antequam abſolvantur omnes Unctiones. II. Si Miniſter metuat nimis, ne inficiatur morbō contagiosō. III. Si multi alii ſunt inungendi, quibus non poteſt ſimul ſatisfieri.

782. *Unctio, an debet dari illis, qui inciderunt in amentiam?* ℟. Debet dari, licèt ſani illam non expetiêrint; ſi autem Sacramenta alia ritè perceperint, cenſentur habere virtualem intentionem.

783. *Extrema Unctio quomodo debet adhiberi?* ℟. Statim dum infirmus incidit in periculoſum morbũ; non verò debet differri, quando exhalaturus eſt animam. *Ratio*; quia uſus rationis, & devotio infirmi multùm confert, ad effectum hujus Sacramenti.



784. *Extrema Unctio an potest iterari in eodem morbo?* ℟. Potest iterari, si morbus sit diuturnus. *Unde*, ubi periculum semel desiit, & si recrudescat morbus, (imò toties, quoties recrudescat;) potest administrari Extrema Unctio. *Plura apud Casistas.*

INDEX

Theologicarum Materiarum, quæ sunt scitu necessariæ Ordinandis.

Theologicæ Materiæ,

spectantes ad Imam *Tonsuram, & ad minores Ordines.*

De Rudimentis Fidei.

De Clerico & prima Tonsura.

De Minoribus Ordinibus in communi.

Re-



De Minoribus Ordinibus in specie.

Theologicæ Materiæ

spectantes ad Subdiaconatum.

Ex Doctrina Fidei.

Theologicæ Materiæ

spectantes ad Diaconatum.

Theologicæ Materiæ, spectantes ad Presbyteratum.

De Sacramento Eucharistiæ.

De Sacrificio in genere.

De Missa.

IN-

§)(*)(§

INDEX

Theologicarum Materiarum, quæ sunt scitu necessariæ Confessariis.

Confessarius, & Requisita ejus.

Sacramentum Pœnitentiæ.

Materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ, seu peccata.

Reliqua peccata.

Aliæ materiæ ſcitu neceſſariæ.



Instructio practica pro Confessariis.

Ad
M. D.
G.

TRACTATUS XIV.

De Dialectica.

CAPUT I.

Præmittit quædam Quæsita de Dialectica.

785: QUid est Dialectica? ℟. Est virtus intellectualis tractans de tribus mentis operationibus, illarum naturam & proprietates explanando,



do, in ordine ad rectè argumentandum.

786. *Quid est operatio mentis ut sic?* ℟. Est actus intellectûs, seu est ipsa cognitio.

787. *Quot sunt mentis operationes?* ℟. Sunt tres; scilicet: *Prima mentis operatio; secunda mentis operatio; & tertia mentis operatio.*

788. *Quid est prima mentis operatio?* ℟. Est actus intellectûs sine ulla affirmatione, vel negatione de objecto. Et est 2*plex:*

I. *Prima mentis operatio, incomplexa;* quando unus apprehenditur terminus; *vg.* Petrus, Paulus &c.

II. *Prima mentis operatio, complexa;* quando apprehenduntur plures termini, sine ullo judicio; *vg. quando tota apprehenditur concio, sine ullo judicio.*

789. *Quid est secũda mẽtis operatio?* ℟. Est act9 intellectûs cum affirmatione vel negatione de objecto; *vg. Petrus est doctus.* Hæc secunda mentis operatio, aliter vocatur: *Propositio, Judicium, enuntiatio, assensus, dissensus &c.*

790. *Quid est tertia mentis operatio?* ℟. Est actus Intellectûs unum ex alio inferens, propter connexionem medii termini cum extremis. *vg. Petrus est homo; ergo est animal rationale. Vide n. 826.*

CAPUT II.

De prima mentis operatione.

Prima mentis operatio, cùm nihil sit, nisi termi-

minus, quia ex essentia sua est actus, seu terminus, sine ulla affirmatione, vel negatione; proinde *requiritur hic notitia de solis terminis.*

791. *Quid est terminus ut sic?* ℞. *Est pars propositionis constitutiva ut quod.* Et tales termini in omni propositione sunt duo, scilicet: subjectum & prædicatum.

Subjectum, est id, *de quo aliquid dicitur.*

Prædicatum verò, est id: *quod de alio dicitur. vg.* Petrus est doctus. *Ly Petrus,* est subjectum. *Ly doctus,* est prædicatum, & isti sunt duo termini. Jam verò *ly est,* non est terminus; *sed copula, unio, seu nexus prædicati cum subjecto;* consequenter constituit *propositionem, ut quô; non verò, ut quod.*

792. *Quotuplex est terminus?* ℞. Est 3plex:

Mentalis; qui mente exprimitur.

Vocalis; qui voce exprimitur.

Scriptus; qui scriptô exprimitur.

793. *Terminus adhuc est 2plex:*

Directus; est cognitio, quâ directè res cognoscitur, *vg. cognitio hominis.*

Reflexus, est cognitio cognitionis præteritæ.

794. *Terminus adhuc est 2plex:*

Significativus; qui ex institutione humana significat aliquid à se distinctum; *vg. homo, lapis, &c.*

Non significativus; qui nil significat à se distinctum; *vg. Blictri, sindapsis &c.*

795. *Terminus adhuc est 2plex:*

Concretus; qui significat aliquid per modum composi-

positi ex subjecto & forma; vel quasi subjecto, & quasi forma; *vg. album*; est concretus terminus, quia componitur ex pariete & albedine; *Paries*, est subjectum; *albedo*, est forma.

Abstractus; qui significat solam formam, vel quasi formam.

Concretum & Abstractum est 3plex:

Concretum physicum; quod habet formam physicam, *vg. album. In hoc concreto, albedo, est forma physica, realiter distincta à subjecto, id est: à pariete.*

Concretum Metaphysicum, quod habet quasi formam, & per solam rationem distinctam, *vg. Animal & animalitas, homo & humanitas, albedo & albedineitas.*

Concretum Logicum; quod habet formam Logicam, & cognitionem; quæ extrinsecè constituit objectum inesse cogniti, *vg. Cognitum. In hoc concreto, cognitio, venit pro forma; quæ defactò est extrinseca objecto suo.*

796. *Terminus adhuc est multiplex:*

Affirmativus; qui significat aliquid positivum & reale.

Negativus; qui significat carentiam formæ, in subjecto incapaci; *vg. lapis non videt*; in hac propositione; *negatio*, est terminus negativus.

Privativus; qui significat carentiam formæ in subjecto capaci; *vg. homo non videt, vel est cæcus.* In hac propositione; *negatio*, est terminus privativus, id est: *cæcitas*, est terminus privativus.

Con-

Contrarii; qui sibi opponuntur, secundùm duas formas accidentales, pellentes se mutuò ex eodem subjecto; *vg. frigus & calor, siccitas, & humiditas*; &c.

Contradictorii; qui sibi opponuntur secundùm idem esse, & non esse, respectu ejusdem, *vg. homo, non homo*; *Petrus est doctus*, *Petrus non est doctus*.

Relativi; qui ad se dicunt aliquam relationem. *vg. Pater & Filius*, dicunt ad se correlationem; *Dominus & servus*, *Superior & inferior*, &c.

Convertibiles; ex quibus potest esse mutua convertibilitas; *vg. est homo*; *ergo est animal rationale*. Et è contra: *est animal rationale*; *ergo est homo*.

Disparati; qui significant res diversas, sine ullo speciali respectu & ordine. *vg.* Petrus, lapis, leo, &c.

797. *Terminus adhuc est 2plex*:

Complexus; qui constat pluribûs terminîs *vg. Petrus doctus*, *Leo fortis*, &c.

Incomplexus; qui constat unô terminô, *vg. Petrus*.

798. *Terminus adhuc est 4plex*:

Superior; qui sub se continet terminos inferiores; *vg. homo*, est superior terminus, respectu Petri, Pauli, &c.

Inferior; qui continetur sub termino superiori; *vg. Petrus*, *Paulus*, &c. respectu hominis.

Prædicabilis; qui aptior est prædicari; *vg. omnia*

mnia adjectiva perfecta; *uti sunt: doctus, prudens, albus &c.*

Subjicibilis; qui aptior est, ut ponatur pro subjecto; *uti sunt substantiva: vg. Petrus, Paulus, &c.*

799. *Terminus adhuc est 2plex:*

Primo-intentionalis seu Primæ intentionis; qui significat rem secundùm esse, quod habet ex natura sua; *vg. homo ex natura sua significat naturam humanam.*

Secundo-Intentionalis, seu secundæ intentionis; qui significat rem, secundùm illud esse, quod accipit ab intellectu; *vg. homo cognitus; homo est species.*

Terminus secundo-intentionalis; est 2plex: I. *Secundo-intentionalis primæ considerationis;* qui accipit esse ab intellectu non abstrahente, sed simpliciter cognoscente. II. *Secundo-intentionalis secundæ considerationis;* qui accipit esse, & denominationem ab intellectu abstrahente; *vg. Homo est species; animal est genus; rationale est differentia &c.*

800. *Terminus adhuc est 3plex:*

Communis; qui convenit pluribus seorsim sumptis; *vg. homo est terminus communis, respectu Petri, Pauli, Joannis, &c.*

Particularis; (aliter vocatur: indeterminatus, confusus,) qui significat unam rem indeterminatè; *vg. aliquis, quidam &c.*

Sin-

Singularis; qui convenit uni rei determinatæ; *vg. Petrus, Paulus, &c.*

801. *Communis terminus est 2plex*; scilicet:

Universalis: qui convenit multis, seorsim acceptis, cum multiplicatione sui significati; *vg. homo, respectu Petri, Pauli, &c.*

Non Universalis; qui convenit pluribus, sine multiplicatione sui significati; *vg. Pater est Deus, Filius est DEUS, Spiritus Sanctus est Deus*; tamen natura Divina non multiplicatur, sed est una. *Idem dicendum, de aliis attributis Divinis, quæ sunt toti Sanctissimæ Trinitati communia; uti sunt hæc:* Omnipotens, immensus, omniscius *&c. vide n.* 512.

802. *Communis terminus adhuc est 3plex: scilicet:*

Transcendens; qui in omni conceptu reali imbibitur, & de illo potest prædicari; *vg. Res, Ens, Unum, Bonum, Aliquid, Verum.* Omnes isti termini exprimuntur in hoc vocabulo: *Reubau.*

Non transcendens; qui in omni conceptu reali non imbibitur, sed tantùm iu rebus aliquibus; *vg. Homo*, tantùm convenit hominibus; *Corpus*, tantùm convenit rebus corporeis, *&c.*

Supertransoendentalis; qui non tantùm convenit rebus positivis, sed etiam negationibus, & impossibilibus; *vg. cognoscibile, immaginabile &c.*

803. *Communis terminus adhuc est 3plex*; scilicet:

Uni-



Univocus; cujus nomen est commune multis, & ratio per nomen significata, est eadem; *vg. homo, respectu Petri, Pauli, &c.*

Æquivocus; cujus nomen est commune multis, & ratio per nomen significata, est omnino diversa; *vg. Gallus, canis, &c.*

Analogus; cujus nomen est commune multis, & ratio per nomen significata, partim est eadem, partim diversa; *vg. prata rident*; *ly rident*, est terminus Analogus; quia *propriè* convenit hominibus; *impropriè & metaphoricè*, convenit floribus.

De Suppositione Dialectica.

804. *Quid est Suppositio Dialectica?* ℞. Est acceptio vocis pro se, vel pro suo significato. *Unde*, Suppositio, quando est acceptio vocis pro suo significato, vocatur: *Suppositio formalis, vg. homo est rationalis, homo studet &c.* Quando verò, est acceptio vocis pro se ipsa, tunc vocatur: *Suppositio materialis, vg. homo est duarum syllabarum, homo est nomen; est 3tiæ declinationis, &c.*

805. *Suppositio, est 2plex:* scilicet:

Suppositio Propria; quando vox accipitur pro significato proprio; *vg. homo ridet.*

Suppositio Impropria; quando vox accipitur, pro significato improprio; *vg. prata rident.*

806. *Suppositio adhuc est 2plex; scilicet:*

Suppositio simplex; quando vox accipitur, pro significato, prout dependet ab intellectu abstrahente, & dante denominationem extrinsecam; *vg. ho-*

mo

mo est species; quia homo ex natura sua est animal rationale; jam verò ab intellectu abstrahente, accipit denominationem extrinsecam: *quod sit species.* Item: *Animal est genus*; *Rationale est differentia*; *&c ut dictum de termino secundo-intentionali n. 799.*

Suppositio Personalis; quando vox accipitur, pro significato independenter ab intellectu abstrahente; *vg. homo est animal, ridet, studet &c.*

Nota: *Terminorum suppositio propriè tantùm habetur in propositionibus, non verò extra propositionem.*

807. *Quid est ascensus, & descensus?* ℞. *Ascensus*, est progressio à terminis inferioribus, ad superiorem; *vg. Petrus est rationalis*, *Paulus est rationalis, Joannes, &c. Ergo omnis homo est rationalis.*

Descensus; est progressio à termino superiore, ad terminos inferiores; *vg. Omnis homo est rationalis; ergo & Petrus est rationalis, & Paulus, & Joannes, &c.*

CAPUT III.

De secunda mentis operatione, seu de propositione.

808. *Quid est propositio?* ℞. Est oratio enuntiativa unius de alio; *vg. Petrus est doctus*; In hac propositione, & in omni alia repetiuntur tria: *Subjectum, Prædicatum, & Copula; ut dictum n. 791.*

809. *Quotuplex est Propositio?* ℞. Est 3plex:

In materia necessaria; in qua prædicatum necessariò convenit subjecto; *vg. homo est rationalis.*

In Materia contingenti; in qua prædicatum contingenter convenit subjecto; *vg. Petrus est albus.*

In materia impossibili; in qua impossibile est, ut prædicatũ conveniat subjecto; *vg. homo est lapis, vel sic; homo non est lapis*; Prima propositio est falsa, secunda est vera; utraq; tamen est in materia impossibili.

810. *Propositio adhuc est 2plex*, scilicet:

Essentialis; in qua prædicatum est de essentia subjecti; *vg. Petrus est rationalis.*

Accidentalis; in qua prædicatum accidentaliter convenit subjecto; *vg. Petrus est albus.*

811. *Propositio adhuc est 3plex*; scilicet:

Mentalis; quæ mente exprimitur; & *est ipsum judicium intellectûs.*

Vocalis; quæ vocibûs exprimitur.

Scripta; quæ scriptô exprimitur.

812. *Propositio adhuc est 3plex*; scilicet:

De Primo Adjacente; in qua tantùm unum verbum ponitur; *vg. scribo*; In hac propositione: *Subjectum, Prædicatum, & Copula*, ponuntur implicitè; quia hæc Propositio æquivalet huic: *Ego sum scribens.*

De Secundo Adjacente; in qua copula non ponitur expressè; *vg. Petrus scribit.* Hæc Propositio

 simi-

similiter æquivalet huic: *Petrus est scribens.*

De Tertio Adjacente; in qua copula expressè ponitur; *vg. Petrus est doctus.*

813. *Propositio adhuc est 2plex*; scilicet:

Absoluta; in qua nullus modus ponitur. *vg. Petrus est homo.*

Modalis; in qua ponitur aliquis modus; *vg. Petrum esse hominem, est necesse.*

814. *Propositio adhuc est 2plex*; scilicet:

Cathegorica; in qua nulla ponitur conditio; *vg. Petrus est doctus.*

Hypothetica, seu conditionata; in qua prædicatum de subjecto prædicatur sub conditione; *vg. Si Petrus se applicaverit ad studia, erit doctus.*

815. *Propositio adhuc est 2plex*; scilicet:

Affirmativa; in qua non ponitur negatio; *vg. Petrus est doctus.*

Negativa; in qua ponitur aliqua negatio; *vg. Petrus non est doctus.*

816. *Propositio adhuc est 5plex*; scilicet:

Simplex; quæ constat unô verbô; *vg. Petrus est doctus.*

Composita; quæ constat pluribûs verbîs; *Et hæc est 3plex*: nimirum:

Copulativa; quæ constat pluribûs propositionibûs, particulâ *&*, vel *nec*, ligatis. *vg. & Petrus est rationalis, & Paulus est rationalis &c.*

Disjunctiva; quæ constat pluribûs propositionibûs,



bûs, particulâ *vel*, ligatî, *vg. vel Petrus est debitor, vel Paulus est debitor.*

Causalis; quæ constat pluribûs propositionibûs, quarum una dat causam, cur in alt ra prædicatum conveniat subjecto; *vg. Ideo Petrus est doctus, quia studuit.*

817. *Propositio adhuc est 4plex*; scilicet:

Universalis; cujus subjectum commune signô universali afficitur; *vg. Omnis homo est Rationalis. Signa verò universalia*, sunt hæc: *Omnis, nullus, &c.*

Particularis; cujus subjectum commune, signô particulari afficitur, *vg. aliquis homo est doctus. Signa verò particularia*, sunt hæc: *Aliquis, quidam &c.*

Singularis; in qua subjectum est singulare; vel subjectum commune affectum signô demonstrativô: *hic vg. Petrus est doctus; hic homo est doctus.*

Indefinita; in qua subj-ctum commune, nullum habet signum sibi affixum; *vg. homo est rationalis.*

Observanda de Propositione Indefinita sunt hæc: I. *Propositio indefinita, si sit in materia necessaria*; æquivalet propositioni universali *vg.* hæc propositio: *homo est rationalis*; æquivalet huic: *Omnis homo est rationalis.*

II. *Propositio indefinita, si sit in materia contingenti*; æquivalet particulari; *vg. homo currit*; id est: *aliquis homo currit.*

III. *Propositio indefinita dum est in materia impossibili*, si sit negativa, æquivalet universali negativæ; *vg. homo non est lapis*; id est: *nullus homo est lapis.*

818. *Propositio adhuc est 3plex*; scilicet:

Exclusiva; in qua ponitur particula exclusiva, aliqua ex his: *tantùm*, *solùm*, *duntaxat*, &c. *vg. solus Petrus est devotus*, &c.

Exceptiva; in qua ponitur particula exceptiva, aliqua ex his: *præter*, *præterquam*, *exceptô*, &c. *vg. Omnes sunt devoti, præter Petrum.*

Reduplicativa; in qua ponitur particula reduplicans, aliqua ex his: *ut*, *quà*, *quatenus*, &c. *vg. homo ut est animal, sentit; ut est rationalis, ratiocinatur.*

819. *Propositio adhuc est 2plex*; scilicet:

Vera; quæ est conformis suo objectô; *vg. homo est rationalis.*

Falsa; quæ est difformis suo objectô; *vg. homo est lapis.*

De Oppositione Logica.

820. *Quid est oppositio Logica, ut sic?* ℞. Est duarum propositionum eodem subjectô, & prædicatô constantium, secundùm quantitatem, vel qualitatem, vel secundùm utrumq; repugnantia.

Per Qualitatem, hôc locô intelligitur: *affirmatio*,

tio, *vel negatio*; id eſt: *Propoſitio affirmativa, vel negativa.*

Per *Quantitatem*, hìc intelligitur: *Univerſalitas, vel particularitas*; id eſt: *Propoſitio univerſalis, vel particularis.*

821. *Quotuplex eſt oppoſitio Logica?* ℞. 4*plex*; id eſt:


Contradictoria; eſt repugnantia duarum propoſitionum, ſecundùm quantitatem, & qualitatem; vel ſecundùm ſolam qualitatem; *vg. Omnis homo eſt doctus*; *Aliquis homo non eſt doctus.* Item: *Petrus eſt doctus*, *Petrus non eſt doctus*; Ultima oppoſitio, eſt de ſola lege.

Contraria; eſt repugnantia duarum propoſitionum univerſalium, ſecundùm ſolam qualitatem; *vg. Omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus.*

Subcontraria, eſt oppoſitio duarum propoſitionum particularium ſecundùm ſolam qualitatem; *vg. aliquis homo eſt doctus, aliquis homo non eſt doctus.*

Subalterna; eſt oppoſitio duarum propoſitionum, ſecundùm ſolam quantitatem; *vg. Omnis homo eſt doctus, aliquis homo eſt doctus.*

822. *Schema oppositionis inter simplices propositiones:*



❧)(*)(❧

De Æquipollentia Propositionum.

823. *Quid est Æquipollentia Propositionum?* ℟. Est æquivalentia duarum propositionum, eôdem subjectô, & prædicatô constantium, propter additionem negationis; *vg. Non omnis homo est doctus*; æquivalet huic: *Aliquis homo non est doctus.*

Nota: Ad Æquipollentiã propositionũ, necesse scire illud Dialecticum axioma: *Negatio quidquid post se invenit, tollit, & destruit*, id est: quando invenit terminum distributum, disjungit; quando verò invenit terminum non distributum, distribuit; nimirum:

I. Hæc propositio: *Non omnis homo est doctus*; æquivalet huic: *Aliquis homo non est doctus. Ratio*; quia negatio præfixa est termino distributo: *Ly Omnis*; Ergo hanc propositionem facit disjunctivam.

II. Hæc propositio: *Non aliquis homo est lapis*; æquivalet huic: *Nullus homo est lapis. Ratio*; quia negatio præfixa est termino non distributo, id est: particulari; Ergo talem propositionem distribuit, per signum universale: *Nullus*.

De Conversione Propositionũ.

824. *Quid est Conversio Propositionum?* ℟. Est mutatio unius propositionis in aliam, per trans-

positionem extremorum; *vg. Nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo. Item; omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. Nota; In Propositione negativa*, prædicatum commune sumitur distributivè; *vg. Nullus homo est lapis*; resolvitur sic: *Homo, neq; iste lapis, neq; iste, neq; ille &c. Jam verò in Propositione affirmativa*; Prædicatum commune sumitur disjunctivè; *vg. Omnis homo est animal*; resolvitur sic: *Homo est aliquod animal.*

CAPUT IV.

De Tertia mentis Operatione, seu de Argumentatione.

825. *Quid per tertiam mentis operationem intelligitur?* ℟. intelligitur *argumentatio*; aliter dicitur: *Illatio, syllogizatio.*

826. *Quid est argumentatio?* ℟. Est oratio illativa unius ex alio propter connexionem medii termini cum extremis, *vg. Petrus est homo, ergo est rationalis.*

827. *Quotuplex est argumentatio?* ℟. Inter alias divisiones, est 2plex:

Enthymema; est argumentatio constans duabûs propositionibûs, ex quarum una infertur alia; *vg. Petrus est homo, ergo est rationalis.*

Syllogismus; est argumentatio constans tribûs propositionibûs; ex quarum duabus infertur tertia, propter connexionem, quam habent extrema cum medio termino in præmissis; *vg. Omnis homo est*

ratio-

rationalis, sed Petrus est homo, ergo Petrus est rationalis. Et talis Syllogismus vocatur perfectus.

De Syllogismo perfecto.

828. *In Syllogismo perfecto quot debent esse propositiones?* ℟. Necessariò debent esse tres, id est: *Major, minor, & conclusio.*

Porro: Major, & minor aliter dicuntur: *Præmissæ, vel antecedens.*

829. *In Syllogismo quot debent esse termini?* ℟. Debent esse tres; id est:

Majus Extremum; & ab hoc dicitur: *Major.*

Minus Extremum; & ab hoc dicitur: *Minor.*

Medius terminus, aliter dicitur: *Ratio, Causa, Unum 3tium.*

830. An est unum: *Antecedens, consequens, & consequentia?* ℟. Non esse unum; habent enim diversos suos conceptus. *Ratio*; quia: *Antecedens* est una propositio, vel duæ, ex quibus infertur tertia.

Consequens, est propositio illata, ex præmissis; & consideratur tantùm secundùm se, utrum sit conformis, vel difformis objecto.

Consequentia (*aliter dicitur: Nexus, vinculum, & illatio*) & est ipsa connexio consequentis cum antecedente. Unde propter hanc consequentiam, propositio pertinet ad tertiam mentis operationem.



831. *Quis est modus componendi Syllogismum?*

℟. Propter Tyrones incipientes, potest iste facilis dari modus; nimirum:

I. Si quis vellet probare hanc propositionem: *Petrus est rationalis*; debet quærere medium terminum, seu rationem; & facilè potest invenire hanc: *quia est homo.* Et sic, *ly homo*, est medius terminus.

II. Præfatum medium terminum: (*homo*) distribuat per universalem propositionem, conjungendo eundem medium terminum cum majori extremo sic: *Omnis homo est rationalis.*

III. In minori conjungat minus extremum, cum medio termino; *sed Petrus est homo.*

IV. Conclusio ipsa infertur, in qua conjungitur *Minus extremum cum majori extremo*; *Ergo Petrus est rationalis.*

Et sic efficitur totus Syllogismus:
Omnis homo est rationalis
Sed Petrus est homo,
Ergo Petrus est rationalis.

V. In præfato Syllogismo: *Ly homo*, est medius terminus. *Ly rationalis*, est majus extremum. *Ly Petrus*, est minus extremum. *Item* in eodem Syllogismo, *medius terminus*, ponitur in majori pro subjecto, in minori pro Prædicato. *Majus extremum* ponitur pro prædicato in majori & conclusione. *Minus extremum*, ponitur pro subjecto, in minori, & conclusione. *Tandem*; Omnes prædicti tres termini, ponuntur duabûs vicibûs; ut constat ex syllogismo.

CA-

CAPUT V.

De Definitione, & Divisione.

832. *Quid est Definitio?* ℞. Est oratio explicans naturam rei, per genus ultimum, & differentiam primam; *vg. Homo*, definitur sic: *est animal rationale.* In hac definitione *ly animal*, est genus ultimum, quia ultimò locô ponitur; (*ut patebit ex arbore Porphyriana.*) *Ly rationale*; est differentia prima; quia est radix omnium proprietatum, neq; datur aliud prædicatum primo-essentiale, præter rationalitatem.

833. *Quotuplex est Definitio?* ℞. Præcipuè est 3plex; scilicet:

Essentialis Metaphysica; quæ explicat naturam rei, per prædicata primo-essentialia Metaphysica; scilicet;per genus & differentiam. *Et hæc sola Definitio est stricta & rigorosa, vg.* homo est animal rationale.

Essentialis Physica; quæ explicat naturam rei per partes essentiales Physicas, realiter inter se distinctas; *vg. homo, est substantia constans corpore & animâ, inter se unitis.*

Accidentalis, seu Descriptiva; quæ rem explicat per prædicata accidentalia; vel per effectus, vel per connotata; *vg. homo, est creatura factâ à Deo, ordinata ad æternam beatitudinem.*

834. *Quid est Divisio?* ℞. Est oratio totum aliquod in partes distribuens.

835. *Quotuplex est Divisio?* ℞ Præcipuè. est 5plex:



I. *Essentialis Metaphysica*; quæ dividit partes Metaphysicas; *vg. In homine genus, est animal; differentia, est rationale.*

II. *Essentialis Physica*; quæ dividit partes Physicas essentiales; *vg. in homine, alia est pars corpus, alia anima.*

III. *Secundò Essentialis*; quæ dividit essentiales proprietates, *vg. In homine, alia est proprietas risibilitas; & alia admirativitas.*

IV. *Integralis*; quæ dividit partes integrales; *vg. in homine, alia pars est caput, alia oculus, alia manus; &c.*

V. *Accidentalis*; quæ dividit accidentia. *vg. In homine, aliud est accidens color, aliud frigus, aliud albedo, &c.*

CAPUT VI.

De Universalibus Logicis.

836. *Quid est universale Logicum?* ℟. Est unum aptum prædicari de multis. *vg. Animal ut sic, homo ut sic, rationale ut sic, risibile ut sic, albedo ut sic: &c.*

837. *Quot sunt universalia Logica, seu prædicabilia?* ℟. Sunt quinque; scilicet: *Genus, species, differentia, proprium, & accidens.*

De Genere.

838. *Quid est Genus?* ℟. Est id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid incom-



completè; *vg. animal, est genus, respectu hominis, & bruti.*

839. *Quare dicitur in quid?* ℟. Ideo dicitur: *in quid*; quia ut sit genus, requiruntur duo: I. Ut prædicetur primo-essentialiter. II. Ut prædicetur substantivè. Unde in hac propositione: *Petrus est Rhetor*; *ly Rhetor*, non est genus; quia Rhetor, non est quid essentiale Petro, licet prædicetur substantivè. *Item*: in hac propositione: *Petrus est rationalis*, *ly rationale*, non est genus, quia licèt sit prædicatum primo-essentiale, tamen non prædicatur substantivè.

840. *Quare dicitur incompletè?* ℟. quia genus prædicatur de speciebus & de individuis, per modũ unius partis materialis, *vg. homo est animal.*

841. *Quotuplex, est genus?* ℟. Est 3plex; scilicet:

Genus Supremum; quod non habet supra se genus; *vg.* respectu hominis, genus prædicamentale supremum est: *substantia*; *Transcendentale* verò, *est Ens.*

Genus Subalternum; quod habet, & supra se genera, & infra se; *vg.* respectu hominis, *corpus*, & *vivens*, sunt genera subalterna.

Genus Infimum; est illud, quod licèt supra se habeat genera, tamen nullum habet genus infra se; *vg.* respectu hominis, genus infimum, & ultimum est: *Animal.*

842. *Genus Infimum, an includit in se superiora genera?* ℟. Genus infimum defactò formaliter

liter includit omnia genera superiora; *vg.* animal includit superiora omnia genera hæc: *Vivens*, *Corpus*, *Substantiam*, *Ens*. *Idem* dicendum *de specie infima*; quòd similiter formaliter in se includat tam genera, quâm differentias.

De Specie.

843. *Quid est Species?* ℞. Est id, quod prædicatur de solo numero differentibus, in quid cōpletè; *vg. Homo est species, respectu Petri, Pauli, Joannis, Francisci, Felicis &c.* & potest de illis prædicari. *Dicitur: in quid completè*; quia prædicatur per modum totius essentiæ; *vg. Petrus est homo.*

844. *Quotuplex est Species?* ℞. Est 2plex; nimirum:

Species Subalterna; quæ sub se habet species alias. Et hæc diversô respectu, vocatur: *Genus Subalternum*; *vg.* Vivens, Corpus, &c.

Species Atoma; quæ sub se habet tantùm individua; *vg. homo*, est species Atoma, & habet sub se individua: *Petrum*, *Paulum*, *Franciscum*, *Felicem*, &c.

845. *Quotuplex adhuc est species?* ℞. 2plex; scilicet:

Species Subjicibilis; est illa, quæ subjicitur generi; *vg. homo est animal.*

Species Prædicabilis; est illa, quæ prædicatur de individuis; *vg. Petrus est homo. Interim, ly homo*; diversô respectu, dicitur: Species subjicibilis,

&

& prædicabilis; *subjicibilis est*, respectu generum; *prædicabilis*, respectu individuorum.

De Differentia.

846. *Quid est Differentia?* ℞. Est id, quod prædicatur de pluribus in quale quid; *vg.* rationale, est differentia hominis. *Dicitur: in quale quid*; quia prædicatur per modum adjectivi differentialis, & primo-essentialis.

847. *Quotuplex est differentia?* ℞. Est 2plex; scilicet:

Differentia Subalterna, seu Generica; quæ dividit genus subalternum; *vg. sensitivum, animatum, &c.*

Differentia Infima & Ultima, quæ dividit genus infimum; *vg. rationale*. Hæc differentia, aliter dicitur: *specifica*; quia speciem constituit, & illam distingvit ab omni alia specie.

848. *Quæ inter se dicuntur specie differre?* ℞. Illa, quæ habent prædicata essentialia, notabiliter diversa, præscindendo ab omnibus hæcceitatibus, uti sunt: *Rationalitas, & Irrationalitas.*

De Proprio.

849. *Quid est Proprium?* ℞. Est id, quod prædicatur de pluribus in quale necessariò connexum; *vg. risibile*, est proprietas hominis, cui necessariò & secundo-essentialiter competit. *Dicitur: in quale necessariò*; quia prædicatur per modum

adje-

adjectivi necessarii; id est: Proprietatis Metaphysicæ.

Observanda sunt hæc: I. Proprium sumitur in rigore tunc, *quando convenit soli, omni, & semper.* Et talis proprietas dicitur: *4to modo sumpta*; reliqua verò propria spectant ad accidens, id est: *ad 5tum* prædicabile.

II. Proprietas Metaphysica emanans ab essentia, neq; Divinitùs potest separari à re, cujus est proprietas; *vg. Risibilitas, admirativitas, flebilitas in homine. Ratio*; quia tales proprietates sunt identificatæ rei; jam verò implicat separabilitas inter identificata.

De Accidente.

850. *Quid est Accidens?* ℞. Est illud, quod prædicatur de multis in quale contingenter. *Dicitur: in quale contingenter*; quia prædicatur per modum adjectivi contingentis; *Accidens* enim ex natura sua; est illud, quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione; *vg. Albedo, nigredo &c.*

851. *Quotuplex est Accidens?* ℞. Potest considerari 4plex; scilicet:

Accidens Separabile; quod naturaliter potest separari à subjecto; *vg. Albedo à pariete; doctrina ab homine &c.*

Accidens Inseparabile; quod naturaliter non potest separari à subjecto; *vg. Albedo à nive, nigredo à corvo &c.*

Acci-



Accidens Naturale; quod naturaliter rei convenit; *vg. Albedo parieti naturaliter convenit; frigus aquæ, calor igni, &c.*

Accidens Supernaturale; quod convenit subjecto supernaturaliter; *vg.* Gratia actualis, habitualis, lumen gloriæ, visio Beatifica; *&c. V. n.* 5. 253.

852. *Accidens adhuc est 3plex*; scilicet:

Accidens Absolutum; quod est in se quid absolutum; *vg. Albedo, nigredo &c.*

Accidens Respectivum; quod est in se quid respectivum; *vg. Relatio inter Patrem & Filium &c.*

Accidens Modale; est ipse modus; *vg.* Sessio, Actio, *&c. Modus* autem secundùm Physicos sic describitur: *est ultima actualis determinatio rei indifferentis.* In nostra schola Scotistica, etiam modi dicuntur: *quid Relativum.*

CAPUT VII.

De Prædicamentis.

853. *Quid est Prædicamentum?* ℞. Est ordo seu dispositio naturalis prædicatorum, deducta à supremo genere, per intermedia genera, & species, usq; ad Individua, *ut mox patebit ex arbore Porphyriana n.* 855.

854. *Quot sunt Prædicamenta?* ℞. Sunt 10. *Primum, &* unicum Prædicamentum est *substantia*; Reliqua prædicamenta novem, sunt *Accidens*; uti sunt: *Quantitas, qualitas &c. Tandem*; duo



tantùm prædicamenta (*Quantitas & Qualitas*) sunt absoluta, reliqua prædicamenta sunt quid relativum, & modale.

I. Substantia (seu prædicamentum Substantiæ) est: *Ens per se subsistens. Dicitur per se*; per quod differt ab Accidente, quod existit in alio; jam verò Substantiæ existunt per se, in se, & independenter ab alio. Unde constat, quod *Perseitas*, sit differentia Substantiæ.

II. Quantitas: *est forma accidentalis, ratione cujus subjectum dicitur, quantum; vg. mensa magna, vel parva.* Quantitatis differentia est: *Impenetrabilitas naturalis*; id est: illa extensio partium, ad quam sequitur aptitudo, & exigentia naturalis expellendi se invicem, & alias res ex eodem loco.

III. Qualitas; *est Accidens absolutum, ratione cujus subjectum redditur quale; vg.* Albedo, nigredo, scientia, calor, frigus, siccitas, humiditas, *&c.*

IV. Relatio: *est respectus unius rei ad aliam; vg.* Pater dicit relationem ad filium, Dominus ad servum, subditus ad superiorem, & è contra.

V. Actio; *est causalitas, per quam effectus producitur à causa; vg.* Deus est Causa, creatura est effectus; jam verò causalitas, est ipsa productio creaturæ ex nihilo.

VI. Passio; *est actio quædam passiva, tenens se ex parte passi; vg.* Dum sol illuminat àërem; *illuminatio activa*, est in sole; *passiva, seu ipsa passio*, est in àëre.

VII.

VII. *Prædicamentum ubi*, seu ubicationis; *est ipsa præsentia rei in loco*; *vide n.* 872.

VIII. *Prædicamentum Durationis*; est forma, per quam res constituitur in certa temporis differentia. Tēporis differentiæ essentiales sunt tres: *Præteritum*, *præsens*, & *futurū*. *Nota:* Tempus definitur sic: *est mensura motûs*, *secundùm prius & posterius*. Et est 2plex: *Tempus extrinsecum*; *vg.* Sol, horologium, à quibus metimur rerum durationes. *Tempus intrinsecum* & est ipsa rei duratio.

IX. *Prædicamentum situs*; est forma constituens partes corporis in ordine ad locum; *vg.* *dum homo stat*, *vel sedet*, *vel ambulat* &c.

X. *Prædicamentum habitûs*; est quædam applicatio indumenti alicujus ad corpus; *vg.* *esse vestitū à veste*; *armatum ab armis*; &c. Plura in Physica ex professo.

855. Arbor Porphyriana.





856. *Quò differt prædicamentum à prædicabili?* ℞. Differt per hoc, quia prædicabile, est unum aliquod prædicatum superius genus, vel species, *&c.* jam verò Prædicamentum est totum quoddam includens plura prædicata superiora usq; ad individua.

CAPUT VIII.

De Signo.

857. *Quid est Signum* ℞. Est id, quod potentiæ cognoscitivæ aliquid aliud facit in cognitionem venire; *vg. fumus est signum, campana, &c.*

858. *Quotuplex est Signum?* ℞. Est 2plex: naturale, & ad placitum.

Signum naturale; est illud, quod significat rem aliquam, independenter ab institutione hominum; *vg. fumus est signum naturale; quia ex natura sua significat ignem.*

Signum ad placitum; est illud, quod significat aliquid ex placito, & institutione hominum; *vg. campana, voces; &c.*

859. *Signum adhuc est 2plex; scilicet:*

Signum universale, quod significat terminum universalem; *vg. Omnis, nullus &c.*

Signum Particulare; quod significat terminum particularem; *vg. aliquis, quidam, &c.*

860. *Signum adhuc est 2plex; scilicet:*

Signum speculativum; quod non causat illud, quod significat; *vg. fumus &c.*

Signum practicum; quod causat illud, quod significat

gnifi-

gnificat; *vg. Sacramenta*, & *significant gratiam*, & *causant illam, moraliter, ut dictum n.* 361.

CAPUT IX.

861. *Proponit axiomata, seu regulas quasdam consequentiarum:*

I. *A potentia ad actum, non valet consequentia*; *vg.* non est bona illatio hæc: *Petrus potest scribere, ergo defactò scribit.*

II. *Ab actu ad potentiam valet consequentia, affirmativè*; *vg.* bona est illatio hæc: *Petrus scribit, ergo potest scribere.*

III. *A superiore termino, non valet consequentia, ad inferiorem; valet tamen è contra*; *vg.* non est bona illatio: *est animal, ergo est homo*; è contra tamen est bona illatio: *est homo, ergo est animal.*

IV. A terminis convertibilibus, valet consequentia Affirmativè, & Negativè. *vg. Est homo, ergo est animal rationale*; vel sic: *nō est homo, ergo non est animal rationale.*

V. Quando est æquivocatio, non valet consequentia; *vg. Omnis canis latrat, sed stella est canis; ergo stella latrat.*

VI. Non valet consequentia, quando mutatur suppositio; *vg. Homo est species, sed Petrus est homo; ergo Petrus est species.* In hoc Syllogismo mutatur suppositio; *quia in majori*, suppositio est simplex; *Jam verò in minori*, est suppositio personalis. *V. n.* 806.

❧§)(*)(§❧

CAPUT X.

Explicat Terminos distinctionum.

862. *Absolutè*; quod convenit alicui rei sine respectu ad aliud *vg. Petrus est rationalis. Respectivè*; quod convenit alicui per respectum ad aliud; *vg. Petrus est Pater, Dominus, Superior, &c.*

863. *Abstractivè cognoscere*; id est: per species alienas, vel per similitudinem alterius; *vg.* nos in præsenti vita cognoscimus Deum abstractivè per creaturas. *Intuitivè cognoscere*; id est: per speciem propriam, prout res est in se; *vg.* Beati videntes Deum facie ad faciem, vident Deum intuitivè.

864. *Actus potest sumi multipliciter, scilicet:*

Actus 1mus; est ipsa potentia ad operandum; *vg.* in actu primo operari idem est, ac posse operari.

Actus 2dus; est ipsa actualis operatio; *vg. Ambulatio, scriptio &c.*

Actus Physicus; est ipsa forma Physica; *vg. Anima rationalis, albedo; &c.*

Actus Metaphysicus; est differentia Metaphysica; *vg. Rationalitas.*

Actus Entitativus Metaphysicus; est essentia, seu prædicata Metaphysica.

Activè se habere; est agere aliquam rem.

Passivè se habere; est pati, seu recipere formam; *vg. Ignis calefaciendo aquam, activè se habet; aqua suscipiendo calorem, habet se passivè.*

Actus Purissimus; qui in omni genere est perfectissimus; *& est solus Deus.*

Actu



Actu rem esse; id est: actu existere; & *esse*, *extra causas*. *Esse in potentia*; quando res necdum existit, & dicitur: *In causis*; *vg. Mundus creatus præsens actu existit*; *mundus verò possibilis, est in potentia seu intra causas.*

Actus signatus; seu: *in actu signato*; id est: explicitè, reflexè, & cum expressa significatione; *vg. Grămaticus loquitur latinè in actu signato, reflectendo se ad regulas.*

Actus exercitus, seu: *Exercitè*; id est: implicitè, indirectè, vel non expressè; *vg. Rhetor loquitur in actu exercito, non reflectendo se ad regulas, tamen conformiter.*

865. *Adæquatè*; id est: integrè, & totaliter cum omnibus partibus. *Inadæquatè*; id est: non integrè, secundùm aliquas partes; *vg. Hominis essentia Metaphysica adæquata est animal rationale*; *Jam verò inadæquata tantùm, animal, vel rationale.*

866. *Ampliativè*; quando res sumitur extensivè. *Diminutivè*; id est: restrictè, & cum diminutione.

867. *Arithmeticè*; quando omnis æqualitas servatur.

Geometricè; quando aliqua tantùm est proportio, non omnimoda.

868. *Appetitus*; potest considerari multiplex: *Appetitus Innatus*; est innata alicujus rei inclinatio ad id, quod naturæ suæ competit; *vg. Aqua*

habet innatam inclinationem ad frigus, ignis ad calorem, &c.

Appetitus Elicitus; est inclinatio rei in bonum aliquod, prævià cognitione. Et talis appetitus datur in viventibus sensitivis, & rationalibus; *vg. dum homo appetit gloriam cœlestem, appetitus est elicitus.*

Appetitus Elicitus est 3plex: I. *Appetitus Desiderii*; quando potentia fertur in bonum absens. II. *Appetitus gaudii*; (aliter dicitur: *Delectatio, quies, fruitio, possessio*;) quô potentia fertur in bonum præsens. III. *Amor, seu simplex complacentia*; quando potentia appetitiva fertur in bonũ secundùm se sumptum, sive sit absens, sive præsens.

Appetitus adhuc est 2plex: I. *Appetitus Efficax*, qui supponit omnia requisita ad acquirendum bonum suum; id est: quando potentia est constituta in actu primo proximo, cum omnibus requisitis. II. *Appetitus Inefficax*; quando potentia non habet omnia requisita, vel nulla habet.

869. *Appretiativè*; *tunc fit*, quando una res præfertur alteri. Et hoc convenit solis principiis cognoscitivis; qui possunt unum comparare cum alio.

870. *Anima*; potest considerari 3plex; scilicet:

Anima Rationalis; quæ tantùm datur in nobis hominibus; *Anima verò nostra est spiritualis, indivisibilis, immortalis, & producitur à Deo per creationem propriè dictam, id est: ex nihilo sui, & subjecti.*

Ani-



Anima sensitiva; quæ datur in brutis, seu animalibus sive perfectis, sive imperfectis. *Anima hæc est materialis, & divisibilis, & producitur ab agentibus naturalibus per eductionem ex subjecto*; *vg. anima leonis, bovis, serpentis, &c.*

Anima vegetativa; quæ datur in arboribus, floribus, herbis *&c.*

871. *Bonum morale*; est aliquod opus bonum, & laudabile in genere moris. *Malum morale*; est actio peccaminosa, seu est ipsum peccatum. (*vid: n.* 13.) *Bonum Physicum*; quod habet perfectionem, & integritatem suorum prædicatorum. *Nota*; Potest aliquid esse *Malum physicum*, *& bonum morale*; *vg.* Jejunium, vel martyrium, sunt malum physicum, tamen sunt bonum morale.

872. *Circumscriptivè esse in loco*; quando singulæ partes locati commensurantur singulis partibus loci; *vg.* homo in àére; homo est locatum, àer circumdans hominem est locus extrinsecus; ipsa vero ubicatio, est locus intrinsecus. *Definitivè esse in loco*; quando tota res est in toto loco, & tota in qualibet parte loci; *vg.* Anima in corpore est definitivè. *Item*, Angelorum ubicatio, est definitiva.

873. *Cathegoricè*; id est: determinatè, & clarè sine ambagibus.

874. Compositum potest considerari *multiplex*:

Compositum Metaphysicum; quod constat genere, & differentia; *vg. Homo compositus ex animali, & rationali.*

Compositum Physicum substantiale; quod constat

ſtat partibûs phyſicîs ſubſtantialibûs; *vg. homo compoſitus ex corpore, & anima unitis.*

Compoſitum Phyſicum Integrale; quod conſtat partibûs integralibûs; *vg. Homo compoſitus ex capite, manibus, pedibus, oſſibus; &c.*

Compoſitum Phyſicum accidentale; quod conſtat ex ſubjecto phyſico, & forma phyſica accidentali; *vg. homo albus, doctus, devotus, &c.*

Compoſitum per aggregationem, ſeu Ens aggregatum; cujus partes nullam inter ſe habent unionem, & nullum ad ſe dicunt ordinem, ſeu connexionem; *vg. cumulus lapidum.*

Compoſitum morale; cujus partes uniuntur unione morali, quatenus ſunt unum ſecundùm æſtimationem hominum moralem; *vg. Sacramenta: Item; Exercitus, quatenus eſt ſub uno Duce, & Reſpublica, quatenus eſt ſub uno Rege; ſunt compoſitum morale.*

875. *Cognitio eſt 3plex, ſcilicet:*

Cognitio purè ſenſitiva, & materialis; quæ reperitur in brutis.

Cognitio ſenſitiva intellectiva, ſeu *rationalis*; quæ reperitur in homine, dependens à ſenſibus.

Cognitio purè intellectiva; quæ reperitur in Deo, & Angelis.

876. *Continuum*; cujus partes uniuntur phyſicè; *vg.* aqua, cujus partes integrales uniuntur phyſicè, & ſunt realiter diſtinctæ. *Contiguum*; cujus partes ſunt ſimul, tamen non uniuntur phyſicè; *vg. Una domus, contigua alteri.*

877. *Causa ut sic* potest describi ita: *est principium dans alicui esse limitatum, per influxum defectibilem. Et est multiplex:*

Causa increata (aliter dicitur: Causa 1ma;) quæ habet virtutem operandi, à nullo participatam; uti est Deus solus.

Causa creata (aliter dicitur: Causa 2da;) quæ habet virtutem operativam, participatam à Deo. *vg. Ignis &c.*

Causa Physica; quæ producit effectum per verum & realem influxum; *vg. ignis &c.*

Causa Moralis; quæ influit in effectū directivè, vel imperativè, *&c. vg. Dominus imperans aliquē occidere; Dominus jubens est causa moralis; servus occidens est causa physica. (Vide de hoc n.* 60.)

Causa universalis; quæ ad omnes effectus concurrit; *vg. Deus.*

Causa univoca; quæ causat effectum similem sibi in specie; *vg. ignis ignem.*

Causa Æquivoca; quæ causat effectū, dissimilē sibi in specie; *vg. Ignis producens calorem; Deus producens creaturam, &c.*

878. *Causa celebri divisione, est 4plex;* scilicet:

Causa Efficiens; est principium dans alicui esse activè; *vg. ignis producens ignem.* Et hæc causa efficiens est causa extrinseca.

Causa Materialis; est principium dans alicui esse passivè; id est. per modum subjecti; *vg. Ma-*

teria

teria respectu formæ. Et hæc causa materialis, est causa intrinseca, quia intrinsecè dat se in partem.

Causa Formalis; est principium dans alicui esse per modum partis determinantis, seu formæ; *vg. Anima in homine est causa formalis, id est: ipsa forma physica, determinans corpus adesse hominis. Hæc causa formalis, similiter est causa intrinseca; quia dat se in partem compositi.*

Causa Finalis; est principium objectivè existens, dans motivè, esse alteri limitatum; *vg. Recreatio propter sanitatem; sanitas est causa finalis.*

Causa adhuc est 2plex: Principalis, & instrumentalis.

Causa Principalis; quæ propriâ virtute agit.

Causa instrumentalis; quæ virtute alienâ facit, ut instrumentum. *vg. Petrus scribit calamo; Petrus est causa principalis; calamus, est causa instrumentalis.*

879. *Certitudo, potest considerari 4plex; nimirum:*

Certitudo Metaphysica; quæ neq; Divinitùs, potest se aliter habere; *vg. homo est animal Rationale; neq; Divinitùs potest fieri, ut non sit animal rationale.*

Certitudo Physica; quæ non potest aliter fieri naturaliter; potest tamen Divinitùs; *vg. non potest fieri naturaliter, ut ignis non urat; potest tamen supernaturaliter non urere.*

Certitudo Moralis; quæ potest aliter fieri, difficulter, secundùm æstimationem moralem; *vg. cer-*

tum



tum est moraliter committendam ebrietatem ab illo, qui contraxit habitum ebrietatis.

Certitudo fidei Divinæ; quæ habetur ex revelatione Divina; *vg. certitudo de Sanctissima Trinitate, Incarnatione, &c.*

880. *Concomitanter, seu simultaneè*; quod simul evenit cum aliqua re, neq; ante, neq; pòst *vg.* Deus concurrit ad omnes actiones creaturæ per concursum simultaneum. *Antecedenter*; quod evenit anteriùs. *Consequenter*; quod evenit consecutivè.

881. *Distinctio ut sic*; potest describi ita: *est alietas unius ab alio.* Est hæc distinctio, præsertim est 4plex:

Distinctio Realis simpliciter; quæ est inter rem, & rem simpliciter. *vg. Inter Petrum & Paulum, inter lapidem & mensam, &c.*

Distinctio Formalis ex natura rei; quæ est inter formalitates identificatas, habentes suos conceptus adæquatos; *vg. Inter animalitatem, rationalitatem risibilitatem, &c.*

Distinctio Rationis ratiocinatæ; quando una eademq; res distingvitur ab intellectu, cum fundamento in re, secundùm diversa connotata; *vg. In sole una est virtus, tamen consideratur ut liquefactiva ceræ, ut indurativa luti.*

Distinctio Rationis ratiocinantis; quando una, eademq; res distingvitur ab intellectu, sine ullo fundamento in re; *vg. distinctio rationis inter Petrum & Petrum, dicendo: Petrus est Petrus.*



882. *Directè*; quod ratione sui intenditur. *Indirectè*; *quod* ratione alterius intenditur; *vg. qui in ebrietate scandalizat alios; si talis inebrietur, ebrietatem intendit directè; scandalum verò indirectè, & in causa.* V. n. 23. *De voluntario Indirecto.*

883. *Diversô respectu*; quando res consideratur secundùm diversam rationem. *Eodem respectu*; quando res consideratur secundùm rationem eandem; *vg. Doctus, & indoctus, ejusdem ætatis; sunt pares & impares diverso respectu; pares sunt, quò ad ætatem; impares, quô ad doctrinam.*

884. *Deus ut Author naturæ agit*; id est: secundùm exigentiam causarum naturalium; aliter dicitur: *agere secundùm potentiam ordinariam*; *vg.* dum cum igne concurrit ad urendum. *Deus ut Dominus absolutus, seu secundùm potentiam extraordinariam*; quando non agit secundùm exigentiam causarum naturalium; *vg.* si igni ad urendum subtraheret concursum; uti est factum in fornace Babylonica. *Deus ut Author supernaturalis*; quando agit super totius naturæ vires creatas, & creabiles; *vg.* dum nobis dat gratias supernaturales in vita; & post mortem dum tribuit Beatis supernaturalem beatitudinem.

885. *Ens potest considerari multiplex*; scilicet: *Ens Physicum*; quod datur à parte rei; *vg. omnes res actu existentes.*

Ens Logicum; quod fit per operationem intellectûs; *vg. homo ut sic.*

Ens

Ens Chimericum, seu Ens objectivè tantùm; est Ens rationis fictum & impossibile; *vg. Chimera, hircocervus, &c.*

Ens morale; quod habet esse secundùm prudens hominum judicium; *vg. Actus bonus, vel malus, Sacramenta, &c. (ut dictum n.* 871.

Ens homogeneum; est totum constans partibûs ejusdem rationis; *vg. Aqua.*

Ens Heterogeneum; est totum constans partibûs diversæ rationis; *vg. homo constans ossibûs, nervîs, sangvine, &c.*

886. *Essentia rei*; sunt ipsa prædicata primo-essentialia, & constitutiva rei; *vg.* hominis essentia Metaphysica: *Animal Rationale.* Essentia verò Physica: *est corpus & anima, secum substantialiter unita.*

887. *Essentialiter* potest sumi 2pliciter: *Primo-essentialiter*; *vg.* homini animal, & rationale, conveniunt primo-essentialiter. *Secundo-essentialiter*; *vg.* Risibilitas, & admirativitas, conveniunt homini secundo-essentialiter, tanquam proprietates metaphysicæ identificatæ.

888. *Formaliter*; quando res accipit denominationem à forma, quam in se habet; *vg.* ignis est calidus formaliter, quia habet in se formam physicam accidentalem caloris. *Virtualiter*; quando res accipit denominationem, à forma, quam non habet in se, tamen potest illam producere; *vg. Vinum est calidum virtualiter, quamvis non habeat in se calorem; tamen potest illum producere.*

889.



889. *Immediatè*; quando fit fine ullo medio. *Mediatè*; quando aliquid mediat; *vg. Filius post Patrem suum immediatus est successor.*

890. *Infieri*; quando res aliqua incipit fieri. *In facto*, quando res jam est facta; *vg. nostra Beatitudo est infieri, quatenus illam desideramus, & per merita comparamus; Beatitudo verò Sanctorum, est in facto.*

891. *Inclusivè*; quando ipse terminus numeratur. *Exclusivè*; quando ipse terminus non numeratur; *vg. tempus Paschale terminatur ad Sanctissimam Trinitatem exclusivè; id est: non includendo ipsum Festum SS. Trinitatis.*

Includens; est totum includens in se partes; *vg.* homo includens corpus & animam. *Inclusum*; est ipsa pars inclusa in toto; *vg.* corpus.

892. *Infinitum est 2plex:*

Infinitum Cathegorematicum; est illud, quod est totum actu positum, habens in se omnes perfectiones infinitas, & in omni genere excogitabiles & possibiles; *vg. Deus qui solus est Infinitum Cathegorematicum Increatum; jam verò probabilius docent Philosophi, quod infinitum creatum implicet, propter varias implicantias.*

Infinitum Syncathegorematicum; cujus, quidquid positum est actu, est finitum, quod autem potest superaddi est infinitum; *vg. in Cœlo erunt dies infiniti Syncathegorematicè, sine fine, & sine termino plures, & plures, &c.*

893. *Logicè*, id est: per rationem. *Physicè*, id est:

â

â parte rei. *Moraliter*, id eſt: ſecundùm prudentem hominum æſtimationem. *Unde, moraliter agere, eſt agere per alium, vg. conſiliô, juſſione &c. vide de hoc n.* 60.

894. *Natura apud Metaphyſicos*; ſumitur pro ipſa eſſentia Metaphyſica, ſeu pro conſtitutivis Metaphyſicis.

Natura verò apud Phyſicos; ſumitur pro principio motûs, & quietis; *vg. Ignis producens calorem, dicitur natura phyſica. Similiter aqua producens frigus &c.*

895. *Neceſſitas poteſt conſiderari multiplex*: *Neceſſitas Phyſica*; quando effectus non poteſt impediri naturaliter, poteſt tamen Divinitùs; *vg. Uſtio ignis non poteſt naturaliter impediri, poteſt tamen ſupernaturaliter.*

Neceſſitas Metaphyſica; quando aliquid, neq; Divinitùs poteſt impediri; *vg. neq; Divinitùs poteſt impediri, ut ſit homo, & non ſit rationalis.*

Neceſſitas Moralis; quando aliquid poteſt impediri naturaliter & ſupernaturaliter, difficulter tamen; *vg. Peccator inhabituatus ad peccandum.*

Neceſſarium ex ſuppoſitione antecedenti; quando ſupponitur cauſa neceſſitans; *vg. cauſæ neceſſariæ, poſitîs omnibûs requiſitîs non poſſunt non agere.*

Neceſſarium ex ſuppoſitione conſequenti; quando aliquid fit, ſuppoſitâ liberâ determinatione vo-

luntatis; *vg. Supposito, quòd homo currat, necessariò movetur.*

896. *Objectum*, est illud, quod objicitur potentiæ intentionaliter agenti; *vg. dum cognosco Petrum, Petrus est objectum cognitionis meæ.* Et est *multiplex*:

Objectum Materiale; quod non ratione sui, sed ratione alterius attingitur.

Objectum Formale, quod per se, & ratione sui attingitur; *vg. dum utimur medicinâ propter sanitatem; usus medicinæ, est objectum materiale; sanitas verò est objectum formale motivum.*

Objectum totale, & adæquatum; ultra quod potentia se non extendit.

Objectum Partiale, & Inadæquatum, ultra quod potentia se extendit; *vg. respectu intellectûs objectum adæquatum est omne cognoscibile, seu omnis veritas; jam verò solæ creaturæ, sunt objectum inadæquatum.*

897. *Potentia potest considerari multiplex:*

Potentia Logica; est ipsa possibilitas, seu non repugnantia ad existendum.

Potentia Physica; est virtus realis ad producendum aliquem effectum; *vg.. Ignis producens ignem.*

Potentia Obedientialis; quæ potest elevari ad producendum aliquem effectum supernaturalem; *vg. Intellectus noster respectu visionis Beatificæ, est potentia inchoata, & obedientialis. Nota:* Intelle-



tellectus secundùm se sumptus dicitur: *potentia obedientialis & inchoata*; jam verò elevatus per lumen gloriæ, vel per aliud aliquod principium supernaturale, dicitur: *supernaturalizatus.*

Potentia Activa; quæ habet virtutem activam producendi effectum.

Potentia Passiva; quæ habet virtutem passivam recipiendi formam; *vg. paries habet potentiam passivam ad recipiendam albedinem.*

Potentia Physicè agens; quæ producit suum terminum. *vg. Ignis, ut dictum est.*

Potentia intentionaliter agens; quæ non efficit objectum suum, in quod tendit, sed tantùm producit actus vitales circa illud. *vg. Intellectus intelligendo; voluntas volendo vel nolendo; potentiæ sensitivæ &c.*

898. *Potentia absoluta in Deo*; quando Deus agit modô extraordinariô; aliter dicitur Potentia secundùm alia decreta Dei.

Potentia Ordinaria in Deo; quando Deus agit, ut Author naturæ, id est: quando Deus agit secundùm exigentiam causarum secundarum, *ut dictum n.* 884.

899. *Principaliter agere*, id est: virtute suâ. *Instrumentaliter*; id est: agere non suâ virtute, sed alienâ.

900. *Prioritas potest considerari 4plex:*

Prioritas subsistendi consequentiâ, (*aliter dicitur*: *Prioritas Logica, seu Rationis*,) vi cujus valet consequentia ab uno ad aliud; non tamen è

contra; *vg.* valet: *est homo, ergo est animal*; è contra non valet: *est animal, ergo est homo.*

Prioritas Naturæ; vi cujus aliqua, licèt sint simul tempore, unum tamen necessariò præsupponit aliud; *Et talis prioritas naturæ est inter causam & effectum*; *vg. Sol, & lux, sunt in uno instanti temporis à Deo producta, tamen lux præsupponit solem tanquam sui causam.*

Prioritas Originis; est præcedentia unius Personæ, respectu alterius cum simultate naturæ, & perfectionis. Et hæc tantùm datur in Deo, ut Trino, seu in Sanctissima Trinitate; *vg. Pater est prior origine respectu Filii*; *Filius autem est posterior Origine*; *Item, Pater & Filius habent prioritatem originis respectu Spiritûs Sancti*; *jam verò Spiritus Sanctus, est posterior origine, respectu Patris & Filii.*

Prioritas Metaphysica radicalis; quæ datur inter illa prædicata, quorum unum est radix Metaphysica, respectu alterius; *vg.* Rationalitas est radix risibilitatis. *Hæc Prioritas*, secundùm nos Scotistas, est à parte rei; non per rationem; uti est prioritas subsistendi consequentiâ. *Aliæ tamen scholæ, has duas Prioritates pro eodem sumunt, in suis fundamentis.*

901. *Permanenter*; quando omnes sunt simul partes; & tale dicitur: *Ens permanens*; *vg.* homo, mensa, *&c.*

Successivè; quando una pars succedit alteri; Et tale dicitur: *Ens successivum*; *vg. Tempus* est Ens successi-



successivum; quia succedit hora post horam, quadrans post quadrantem. *Item:* Sacramenta omnia dicuntur, *successiva*; sola Eucharistia est Sacramentum permanens.

902. *Ut quod*; est ipsum subjectum denominatum. *Ut quô*; est ipsa forma denominans subjectum; *vg. Paries albus*, *Paries* habet se, ut quod; *albedo*, habet se, ut quô. *Item Petrus doctus*; Petrus; *habet se, ut quod*, tanquam subjectum; *doctrina, habet se, ut quô*, tanquam forma denominans, &c.

903. *Ut sic*; seu *in abstracto*; significat naturam abstractam à suis inferioribus; *vg. homo ut sic*; est natura abstracta à Petro, Paulo, Joanne, Francisco, &c. *Item*; *Animal ut sic*, *Causa ut sic*, *Terminus ut sic*; *Propositio ut sic*; &c.

De Principio Originis.

904. *Principium* latiùs patet, quàm causa; quia omnis causa est principium, tamen non omne principium est causa; ut patet in Divinis; Pater est principium Filii, tamen non est Causa; quia Causa dat esse limitatum & defectibile, quod implicat in Divinis. Unde principium potest considerari *2plex:*

Principium sumptum pro causa; ita definitur, sicut causa *n.* 877.

Principium Originis seu Originativum in Divinis; à quo procedit altera Persona cum simultate naturæ; ita, ut una Persona non sit prior naturâ respectu alterius Personæ. *Unde: inter Cau-*



sam & principium originis magna est differentia. I. *Quia causa creata in effectu suo efficit dependentiam*; id est: indigentiã causæ, ad suum esse defectibile; jam verò in Divinis nulla est indigentia, sed summa fæcunditas. II. *Causa efficit contingentiam*; id est: dat effectui esse contingens, & limitatum; quia nulli creaturæ est essentiale, & necessarium existere; In Divinis essentia & existentia est essentialis, & necessaria. III. *Causa importat prioritatem naturæ, & diversitatem naturarum*; quia à causa producitur terminus non consubstantialis, sed habens realiter distinctam, & diversam naturam; jam verò in Divinis non est prioritas naturæ, neq; distinctio & diversitas naturæ; sed tantùm est prioritas Originis & cõsubstantialitas, id est: summa communicatio unius, ejusdemq; naturæ Personis procedentibus.

Ab Jove Principiũ, cũ Jove finis adest, nimirũ: Cùm Beatitudo in Primo Tractatu primatum teneat; Principium verò Originis, in ultimo Tractatu finem, & coronidem imponat; restat, & incumbit, exoptare, ut quisquis utetur hôc opusculô, utatur ad Illius solius Gloriam, qui solus est: *Principium & Finis, Alpha & Omega*; sit proinde & hujus compendii corona, & coronis;

PRINCIPIUM
&
FINIS

Ad M. D. T. O. M.G.B.V.M.S.L. O.C. Honorem, B.P.N. Francisci, OOq; SS.Cultum, ac Venerationem.

INDEX

❧)(*)(❧

INDEX

Rerum & Verborum.

Con-



Diaco-



Infi-




Ope-



Prædi-




§)(✠)(§

Errores corrigendi.

n. 4. v. 17. Senenem, lege Senonen.
n. 5. v. 24. visus est, lege visûs, &c.
n. 11. an aliquid, lege an aliquod.
Ibidem v. 7. planè, lege plenè.
n. 13. (*omissum est:*) actus moraliter malus.
n. 18. v. 6. quomodo, lege quando.
n. 23. v. 17. iliquod, lege aliquod.
n. 42. v. 10. illis, lege illîs.
n. 79. v. 2. ℟. voluntas - est voluntas (*NB. adde ly: est*)
n. 92. v. 21. tradit, lege tradidit.
n. 95. ℟. probita, lege ℟. prohibita.
n. 98. v. 11. pro precib9q; lege pro precibus.
n. 100. v. 24. In justia, lege In-justitia (*NB. junge.*)
n. 101. v. 6. per modum obligationis, lege per modum oblationis.
Ibidem v. 8. designat, lege designant.
n. 144. v. 3. uti, lege ut.
Ibidem v. 47. Prævelebunt, lege prævalebunt.
Ibidem v. 59. Possest, lege posset.
n. 172. v. 28. est futurum, lege & futurum.
n. 180. Peccatum, lege Præceptum.
n. 188. IV. Exstrema, lege Extrema.
n. 282. *Prænota 1mo.* (*NB. deleatur ly 1mo.*)
n. 289. v. 6. Beastissima, lege Beatissima.
n. 296. v. 2. in purgario, lege in purgatorio.
n. 440. v. 17. Ad actum Dei, lege Ad cultum Dei.
n. 444. v. 5. tum quia, lege quia (*NB. deleatur ly: tum.*)

n. 447.

n. 447. v. 17. ad augendas, lege ad agendas.
n. 449. v. 12. Concil. Cons. lege Concil: Conſt.
n. 450. v. 3. in theſauris, lege in theſauro.
n. 504. v. 15. (Id eſt cum hæreſi) (*NB.addatur clauditur:*)
n. 454. v. 3. uis, lege ſuis.
n. 532. v. 10. ſignificatæ, lege ſanctificatæ.
n. 552. v. 3. ſuſcipiendi, lege ſuſcipienti.
n. 614. v. 11. hoc clavi, lege hac clavi.
n. 672. v. 11. convenientia, lege conniventia.
n. 719. v. 14. XII.) (*NB.omiſſum eſt: clauditur.*)
n. 736. IV. difformem lege deformem.
n. 743. III. v. 2. & lege ut.
n. 765. deſideret, lege deſideraret.
n. 771. v. 3. neceſſarie, lege neceſſariò. *Item* v. 4. debet, lege deberet.
n. 795. v. 19. & cognitionem, lege ſeu cognitionem.
n. 811. v. 5. exprimitut, lege exprimitur.
n. 851. v. 3. Separebile, lege Separabile.
n. 876. v. 3. dictinctæ, lege diſtinctæ.



A. M. D. G. B. 1. M.

Ad Majorem Dei Gloriam

memoria —

1. Hore Canon —
2. Scripulesd —
De Sacramentis —
De Lege —
De Conscientia —
De Ecclesia —
De peccato in generd
De actibus humanis —
De finis hominis

Compendium ad Sub= Diaconatum

Na większą Cześć Chwałę Bogu —!

na tey Xiążce uczyłsię
Józeff morgiewicz
Kleryk Eremu
montis Pacis
mp —

R. 1815.
mc. Obr.
Dnia 24.

Braciszku Który
Patrzysz na me Pismo
westchni do Boga
za me duszę —
reqiem: &c.



MP. — mp —

